

8

5/F

4.165

DE

RELIGIOSA S. IGNATII, SIVE S. ENNECONIS

FVNDATORIS SOCIETATIS IESV,

Per Patres Benedictinos Institutione.

Deque Libello Exercitiorum eiusdem, ab Exercitatorio Venerabilis serui Dei, Garciæ Cisnerij, Abbatis Benedictini, magna ex parte desumpto.

CONSTANTINI ABBATIS
CAIETANI VINDICIS BENEDICTINI.

LIBRI DVO.

Superiorum permissu, & Priuilegijs.

Bibliotheca Angelica

VENETIIS, M DC XLI.

Apud Christophorum Tomasinum.

EX
MARTYROLOGIO
MONASTICO.

RIDIE Kalendas Augusti. Romæ, Depositio S. Ignatij, siue S. Enneconis Confessoris. Qui Christo militaturus, nouum hominem, & habitum in Monasterio Beatissimæ Virgini Mariæ Montisserrati Ordinis S. Benedicti induit: ibique Oblatorum, quos Hispani Donatos vocant, religioso schemate donatus, & sub magisterio insignis serui Dei Ioannis Cla-

nonij, eiusdem Monasterij Monachi, ad sanctiorem vitam eruditus, ab eo accepit Exercitatorium vitæ spiritualis; magni illius & excellenti sanctitate viri Garciæ Cisnerij, eiusdem Ordinis & Monasterij Abbatis: quo & ipse S. Ignatius mirabiles, in vita spirituali progressus fecit: & e quo potissimùm post aliquot annos sua Exercitia elucubrauit. Hinc admirabilem Societatis Iesu Religionem fundaturus, in S. Mariæ Montis Martyrum prope Parisios, prima suę Societatis vota; sollemnia verò in Oratorio S. Mariæ ad S. Paulum prope Vrbem, Benedictini Ordinis Asceteriis emisit: Montemque Casinum profectus (omnes enim nouæ suæ Societatis solemniores Actus apud eosdem Benedictinos celebrauit) ibidem in Oratorio S. Mariæ de Albaneta à Casinensibus Patribus adiutus, suæ Societatis Regu-

las

las meditatus est. Demum Sanctissimus Illustrium Religiosorum Ordinis Patriarcha, e Conuerso Benedictino effectus, eiusdem Ordinis lætissima incrementa videns, feliciter obdormiuit in Domino; pridie Kal. Augusti, Anno Domini Millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto. Quem Gregorius PP. XV. miraculis clarum Sanctorum numero adscripsit.

Attendite ad Petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis: Attendite ad Abraham (Benedictum) Patrem Vestrum, & ad Saram (Benedictinam Religionem) quæ peperit vos. Isaiæ cap. 51.

TYPOGRAPHVS LECTORIS.

OPVSCVLVM tibi exhibemus, Lector, non vno titulo dignum posteritate. Si Authorem quæris, multis ille, & doctissimis lucubrationibus nobilis, sui Ordinis Vindex, & ornamentum: Si Argumentum spectes, scitu illud dignissimum, siue induat Ignatium Benedictino schemate, & Benedictinis e laribus educat in Iesuiticæ Familiæ Patriarcham seu exercitia spiritualia (magnum apud Iesuitas nomen) e Cisneriano Benedictino Exercitatorio spirituali deducat. Cum igitur præsens Opusculum ad me fuisset transmissum e Germania, quo olim (desumptum ex Authoris scrinijs ipso inscio)

scio) deportatum fuerat, nunc toties descriptum, à pluribus expetitum, vt publici iuris fieret. Ego tanti viri, & Ordinis studiosus, de Authoris benignitate confisus, illud Orbi communico. Nec ipse ægre feret, spero, hoc eo inconsulto fieri, cum ab eo fiat, qui illius nominis est studiosissimus: & ingens periculum esset, nobilissimi Authoris partum nobilem, publico bono scriptum, publici iuris non facere. Vale, & fruere.

TOTIVS OPERIS CAPITA PRÆCIPVA.

LIBRI PRIMI.

Pistola Nuncupatoria. pag. 1

Præfatio Auctoris. pag. 29

De patria & nomine S. Ignatij, siue Enneconis. Cap. I. p. 33

S. Enneco, siue Ignatius, militiam mutat sub ductu Benedictinorum Patrum, & ab ijs ad vitam perfectiorem eruditur. Cap. II. p. 37

S. Enneco, siue Ignatius in Montis Martyrum prope Parisios, & S. Pauli de Vrbe Monasterijs, Ordinis S. P. Benedicti, vota emittit. Cap. III. pag. 43

Ignatius ad Casinum montem secedit, ibique à Benedictinis Monachis in scribendis suæ Societatis legibus adiuuatur. Cap. IV. p. 53

S. Ignatius plura è Benedictina Regula, in suas Constitutiones transtulit. Cap. V. p. 64

Respondetur cuidam Theologo, structori cauea Grauiniano turturi; & quæ habet circa adducta proxime superius, examinantur. Cap. VI. pag. 73

S.

S. Ignatius alia nonnulla, quæ apud Societatem laudabili sunt in vsu, à Benedictinis mutuatus est. Cap. VII. pag. 87

S. Ignatius Magnum Patriarcam Benedictum & Benedictinos Patres, in Apostolicis Missionibus, & docendis pueris imitatus est. Cap. VIII. pag. 96

Quæritur cur S. Ignatius eo semper affectu & gratitudine fuerit erga Benedictinam Religionem: & num gestauerit habitū Conuersorum Ord. S. Benedicti. Cap. IX. pag. 110

LIBER SECVNDVS.

DE Libello exercitiorum S. Ignatij, siue S. Enneconis Fundatoris Societatis Iesu, ab Exercitatorio Venerabilis serui Dei, Garciæ Cisnerij Abbatis Benedictini, magna ex parte desumpto. pag. 123

Quo tempore, & loco S. Ignatius scripserit exercitia spiritualia. Cap. I. pag. 125

Petri Ribadineiræ epistola, cum responsione ad eam facta ab Antonio Iepio. Cap. II. p. 128

Ex Confessione Ribadineiræ, & auctoritate Iepij ostenditur, S. Ignatium non scripsisse sua exer-

exercitia, cum esset Minoressæ. Cap. III. pag. 140
Soluitur Obiectio Ribadineiræ de facta Ignatio Cælitus reuelatione. Cap. IV. pag. 147
S. Ignatium non scripsisse sua exercitia dum esset Minoressæ, probatur ex defectu vsus tractandorum animorum, & experimentorum spiritualis vitæ. Cap. V. pag. 153
Probatur alijs Argumentis ex ipso exercitiorũ libello desumptis S. Ignatium non scripsisse exercitia sua dum esset Minoressæ. Cap. VI. pag. 161
S. Ignatius, ab exercitatorio Garciæ Cisnerii Abbatis Benedictini, plura in sua exercitia transtulit. Cap. VII. pag. 171
Conferuntur ad inuicem scopus, titulus, & stilus exercitiorum S. Ignatij & exercitatorius Abbatis Cisnerij. Cap. VIII. pag. 179
Comparantur ad inuicem, Exercitatorium, & Exercitia, in nonnullis aliis. Cap. IX. p. 184
Conferuntur ad inuicem quæ habet Ignatius in exercitijs, primo, secundo, tertio, & Cisnerius in meditationibus feriæ secundæ. Cap. X. pag. 190
Comparantur ad inuicem, exercitatorium Cisnerij,

nerij, & exercitia Ignatii in meditatione de inferno: & iis quæ ad amorem excitant. Cap. XI. *pag.* 194.

Corollarium ex præcedentibus, & ratio designatur, quare ex Garcia Ciſnerio potius, quam ex alio dicatur Ignatius hæc documenta deſumpſiſſe. Cap. XII. *pag.* 198.

Reſpondeamus obiectionibus Anonymi cuiuſdam, & examinemus an S. Ignatio Dominus Deus tradiderit exercitia ſpiritualia, ſeu an eum illa docuerit B. Virgo. Ca. XIII. *pag.* 201

Nobiliſſimis Romani Collegii Anglicani Alumnis Conſtantinus Caietanus S.P.D. *pag.* 213

Finis Capitum.

Errata	Sic	Corrige.
Pag.5. lin.9.	à Nieremburgense	Ab Ignatio.
ibid. lin.17.	non fuisset	fuisset.
pag.7. lin.5.	pro facta	prout facta.
pag.12. lin.11.	nè detractum	nec detractum.
ibid. lin.26.	proculdubio sunt	proculdubio acceptu sunt
pag.35. lin.28.	Bouensis	Barensis.
pag.38. lin.6.	felicique	feliciter
pag.40. lin.6.	salutaris	Salutatis.
pag.47. lin.4.	Ita vacua	Non ita vacua.
ibid. lin.10.	eas fontes	tres fontes.
ibid. lin.21.	sequens	frequens.
pag.49. lin.26.	Patri	Petri.
pag.51. lin.3.	alternum	æternum.
pag.57. lin.9.	Lintij	Lucij.
pag.58. lin.4.	scriptionem	Scipionem.
pag.62. lin.3.	vnum	vsum
pag.63. lin.13.	suffogato	suffogauit.
pag.78. lin.13.	conuenit	conuehit
pag.79. lin.11.	& ea fuisse	ei adsuisse.
ibid. lin.13.	Sanctorum	Sanctionum.
pag.85. lin.1.	Nouitiatus	nouitatis.
pag.92. lin.1.	desertus	disertos.
ibid. lin.18.	discendi	discedendo.
ibid. lin.26.	præuidere	præcidere.
pag.100. lin.2.	Episcopis	Episcopijs.
pag.109. lin.3.	deleantur verba	Patres insuper no Lusitani, &c. vs ad finem pagin
pag.126. lin.27.	Deleantur ea verba	in suo vulgari idio
pag.133. lin.29.	spiritualibus Deus	speciali Deus.

Pa

Errata	*Sic*	*Corrigo.*
Pag. 148. lin. 9.	Magis est	Magister est.
ibid. lin. 13.	Theodida	Theodidacto.
ibid. lin. 28.	improbatur	improbus.
pag. 162. lin. 23.	antiqua	aliqua.
pag. 177. lin. 18.	minus	missus.
pag. 190. lin. 12.	complutiua	compunctiua.
pag. 204. lin. 3.	annos	Omnes.
ibid. lin. 5.	vniusque	huiusque.
pag. 207. lin. 9.	rigans	ringas.
ibid. lin. 25.	tali	Itali.
pag. 212. lin. 5.	nimirum	nimium
ibid. lin. 6.	nimirum	nimium

REVERENDIS AD MODVM PATRIBVS SOCIETATIS IESV,

Domnus Constantinus Abbas Caietanus, Salutem in Christo Iesu.

Omnes bonos, bonasque accurare addecet
Suspitionem, & culpam, vt abs se segregent.

IDEO vos in limine alloquor, Admodum Reuerendi Patres, Sapius Fundatoris vestri, vestrum sæpius mentionem iniycio. Ipsum profitear virum, dilapsum cælitus, Luminare magnum concessum mundo, vt illuminaret hæreticos, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, piorumque & fidelium pedes in viam pacis: vt scilicet his ad salutem præiret, ad fidem illis. Profiteor, illum lucernam ardentem, & lucentem fuisse in Domo Dei, sanctitate plurimum, opere, & sermone potentem. Igitur priusquam ego in tantum virum ingratè, vel impiè proferam aliquid, ad-

hæreat lingua mea faucibus meis; prius exaresçat dextera, quàm vel iota vnum exaret. Quæ enim ingratitudo, proscindere eum, qui gratissimum se exhibuit vniuersis? quæ impietas, in illum insurgere, coram quo pijssimi omnes procumbunt? Iure merito igitur coargueres me, charissima mihi Societas, si talem ego Ignatium produxissem in scenam, qualem Nigronius tuus, superbum, & inimicitiarum memorem; idque postquam illi Diuinæ illuxissent coruscationes; iamque prima vota Parisijs cum Sociis nuncupasset. Nam inter rationes illas, quibus nititur demonstrare, nullo modo probabile, aut possibile, aut verisimile fuisse, quod Ignatius expeteret, aut peteret Religionem Theatinorum ingredi (prout Reuerendi Patres Theatini contendebant) illam ponit: Ne fieri discipulus ex magistro cogeretur. Quod quid aliud, amabo, est, quam insignem illius eleuare humilitatem, (qui non nisi inuitus in Præpositum generalem assumptus, illud munus sæpius resignare voluit) & superbiam ei affricare? Fatentur vnanimiter Scriptores illius Vitæ, cogitasse illum de ingrediendo aliquo minus reformato Ordine, vt plus pati, & plus benè mereri in reformatione ipsius potuisset. At Nigronius: Ignatius, inquit, minimè tentasset, aut per se, aut per alios, aperiri sibi ianuam Religionis, à parum amico erecta, ac gubernata; vel in qua plurimum posset, tenens primas. Et alibi: Si alienior ab Ignatio Caraffa, neque Ignatius tentasset ingressum in Religionem, à parum amico erectam, & gubernatam; vel in qua plurimum posset, qui teneret primas, neque Caraffa petentem recepisset, quem Ordini minus benè affectum ob simultates suspicaretur. Quibus Nigronius & euertit, & negat sanctum patiendi desiderium. quod in S. Ignatio agnoscimus, & veneramur; & illum inimicitiarum, simultatumque cultorem exhibet pertinacem. Præterea

Iul. Nigron. in Histor. disput. de S. Ignatio. pag. 49.

Idē pag. 22.

Idē pag. 64.

habet

habet Nigronius: Hanc Ideam, scilicet Societatis condendæ, S. Ignatius non diligebat modo, sed & ardentissime amabat; tum quia naturali instinctu, nostra opera & inuenta, quæ sunt ingenij partus, diligimus; vt de omnibus scripsit, & vere, Aristoteles: tum quia ea delineauerat penicillo quidem ingenij sui, sed coloribus à Spiritu Sancto infusis, qui eam pulchriorem reddebat, amabiliorem, digniorem que conseruatu. Ex hac duplici, amoris videlicet, radice factum est, vt altissime in eius animo insederit, atque infixa fuerit adeo, vt destinati propositi tenacissimus euaserit. Et non longè post concludit: Incredibile est, vt Theatinorum Ordinem vsque adeo probaret, vt eum suis cogitatis, inuentis destinatis, & Idea concepta & inceptæ tam facilè mutatus anteferret. Theatinorum institutum Sanctissimum esse nemo negauerit; illud ingredi vel suscipere, opus nemo non dixerit laudabile, Sanctum, meritorium; & propterea noluisse Ignatium illud vouere, aut profiteri, quia conceptam Societatis Ideam, quoniam erat illa cogitatum, inuentum, destinatum suum, diligeret, & ardentissime amaret, illiusque tenacissimus esset.] Ita ille. Sed hoc profectò plus erat naturæ tribuere, quàm gratiæ, plus æquo suo sensui inhærere, sua nimirum demirari, nimiumque superbum, & vt ita dicam, capitosum agere.

Nec melius forsitan Scriptor nuperus Ioannes Eusebius Nierembergensis, seu, vt alias in alio suo opere se vocabat, Ioannes pius Carpetanus, nonnulla Ignatio, quæ non vsque adeo ad honorem illius, aut pijs grata sunt auribus, affricat: Doctores, inquit, aliqui dicunt (neminem autem cum citet, ipsimet hæc attribuenda veniunt) Ignatium fuisse secundum Saluatorem. Quem amabò Nierembergensis primum Saluatorem existimat? an illum, de quo scriptum est: Hic est vere Saluator mundi.

Ioan. Euseb. Nierember. in Vita S. Ignatij Hispanice impressa Ma-

driti, & Cęsarau gustæ anno 1631.

di. Ipse certe, Ipse est. Id audiuimus, id scimus. Et prater ipsum, Osea teste, non est Saluator. Frustra igitur & nullo Catholico, immo audacissimo exemplo Christo Domino Collegam dat, alterum Saluatorem docens. Dedit quidem Dominus Deus Saluatorem, at qui virtute & gladio saluaret populum suum de manu hostium suorum. 2.Esd.9. Dictus & non nemo fuit Saluator mundi; at illud à Rege Ethnico, idque in figura. Gen.41. At Nierembergensis (quod nemo hactenus, prout legendo accepi, Catholicorum fecit) non de grege eorum, qui coronis ciuicis donati, militari claruere gloria: eorumue, qui figuratiue humani generis Saluatorem exhibuerunt, sed temerarie nimis, ne dicam impie, dum secundum Saluatorem appellat Ignatium, primo illum exhibens socium Saluatori, cumque eo mundi saluati incognito hactenus Catholicis Priuilegio eundem Ignatium decorat, quod pias aures abhorrent. Ego hic non disputabo fusius, quousque prærogatiuæ Christi Sanctis attributæ veniant, nedum à Scriptoribus optimis, sed ab ipsa etiam Scriptura sacra. Sufficit insinuasse, Nierembergensem audacter nimis & temerarie docuisse, tum S.Ignatium Saluatorem fuisse, tum Petro & Paulo, aliisque Apostolis, atque iis qui Spiritus primitias acceperunt, postpositis, extitisse secundum.

Ioan.4. 42. Os.13.

Et idem Nierembergensis pag.28. in hæc Verba discurrit. Dixit S.Ignatius: Quod dona, quæ gratis recepisset à Deo, quæque recipere sperabat, non commutaret cum Sanctorum vllo, si illi maiora dona non recepissent à Deo, quàm suæ illos historiæ narrant accepisse.] Hæc, Nierembergense referente, S.Ignatius. Et subiungens inquit: Vt suis maiorem Sanctorum veneration em ingereret.] Dic amabò paruane sunt, quæ de Moyse leguntur, de Elia, de Dauide, qui secundum cor Dei fuit? paruane

quæ

quæ de Stephano, pleno gratia, de Apostolis, de Baptista, quo nemo surrexit maior? paruane quæ Augustino, Gregorio, Nicolao, Martino, Hieronymo, Benedicto? aut exigua illa, quæ tot myriadibus Sanctorum (vt eorum historiæ testantur) concessa leguntur, vt cum nemine eorum vellet commutare? Cum nullo, inquit, Sanctorum sua dona commutasset.] Sincere fateor, maiora ego de sanctitate & humilitate S. Ignatij credidi semper, quam vt hæc verba à Nierembergense prolata credam.

Et pag. 45. Dicunt aliqui (hic iterum neminem citat) quod si hucusque vixisset S. Ignatius, non superfuisset amplius in Ecclesia, quod laborem, diligentiam videlicet & industriam Pastorum & Prædicatorum, desideraret. Tota gentilitas fuisset conuersa. Hæresis extirpata, omnesque fideles quasi reformati tanquam si Religiosi essent.] Difficilis persuasionis assertum, nisi conspiciliis scientiæ media Nierembergensis non fuisset illud intuitus. Num Paulo maior Ignatius? num maior Petro? Apostolis? Christo? Paulo Athenis tonante & prædicante fidem, quidam quidem deridebant; quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum: quidam vero viri adhærentes ei crediderunt. Act. Apost. c. 17. Præterea, loquente Petro, diffecabantur Magistratus & cogitabãt illum interficere. Act. c. 5. Quin & ipsamet Diuina sapientia docente, & Diuinum seminante verbum, aliud supra petram, secus viam aliud, aliud supra spinas cecidit, non omne super terram bonam. Luc. 8. Sic Petrum, sic Paulum vidimus, sic Christum, cui omnis potestas data fuerat in cœlo & in terra, accepimus, tota die extendentem manus ad populum non credentem & contradicentem. Ita semper oportuit hæreses esse, & Zizania relinqui vsque in diem messis, omnique ætate inuenti sunt, qui seipsos amarent, cupidi, elati, superbi, blasphemi. Tu tamen

Nierembergensis, prædicame Ignatio, vis omnes Euangelio obedituros, & in nouissimis etiam diebus fidei nihil charitati, aliisue virtutibus deperditum iri; sed omnes Apostolica perfectione in mundi senio clarere; vt vnus maior Ignatius & efficacior omnibus Sanctis, omnibus Doctoribus & Prædicatoribus, nullos habiturus esset Iudæos, alioſue incredulos, nullos Simones magos, Bar Iesus, Nicolaos, Himeneos, Alexandros, qui fidem non amplecterentur, resisterent fidei, à fide naufragarent, alioſue quorum Deus venter esset, quorum finis interitus. Dolui equidem hunc Scriptorem sua omnia nimium efferre, vt ipsa etiam verissima difficilem inuenirent fidem.

Eodem modo pag. 45. & 114. asseruit, S. Xauerium, Ouiedum, Anchietam, & Canisium, suos, quatuor plagarum mundi, Orientis, Occidentis, Septentrionis, & Austri, Apostolos, extitisse.

Et pag. 11. & 17. Constitutiones S. Ignatij à Beatissima Virgine approbatas.

Et pag. 120. Verè in excessu, in hac verba prorupit: Exercitia spiritualia scripsit S. Ignatius inspiratus Diuinitus, & edoctus à B. Virgine: quæ postea per se ipsam confirmauit scripta illius. Propter quod maiori excellentia Ignatius est Doctor Ecclesiæ, quam de alijs Doctoribus dicitur; quia non scripsit vulgari modo, sed valde peculiariter, Spiritu Diuino; & quasi eo modo, quo dicitur de Scriptoribus Canonicis & Euangelistis.] *Hæc qua temeritate protulit Nierembergensis, arbiter esto, quicunque horum Lector accedis.*

Verùm enim vero, quid ea ad calculos redigo, cum nedum Sancto ipsi iniuria sint, sed & altioris tribunalis iudicio examinanda, feriendaque digna nota. Præcipuè si reuelationes & miracula coram adducamus, quæ nescio, an recognita ab Ordinarijs subsisterent, & vera

esse

esse comperirentur. Nam iuuenis ille Florentinus, dictus Ioannes Merlo filius Marci Sebastiani Merlo, cerdonis ni fallor, quem sui parricidam & mortuum inducit. pag. 109. & S. Ignatij meritis ad vitam reuocatum: hic, inquam, iuuenis, pro facta diligenti inquisitione, litterisque viri grauis fideque digni, qui cum Florentia erat, ad me perscriptis, & quæ etiamnum apud me extant, intellexi, aliquot vulnera à Iesuita quodam inflicta recepit, quod Versibus illum acribus perstrinxisset, non sibi ipsi mortem consciuit, immo nec ijs vulneribus è viuis abyt, neque societatem Iesu postea ingressus est, vt asseuerabat Nierembergensis, sed secularem vitam etiamnum Fesulis agit, vt datis litteris etiam intellexi. Et qui plura huiusmodi examinaret, plura forsitan eadem leuitate scripta reperiret. Quod si illud in vicina Florentia, de ijs certe, quæ ex remotioribus Prouincijs narrantur, reuera maior suspicio oriri posset. Veruntamen ne videamur nos hanc Nierembergensis tragicam fabulam finxisse, en ipsiusmet verba: [En Florencia castigo vn Maestro nuestro de Gramatica à vn estudiante de los estudios, el qual se enoxo tanto con el que le ieuanto vn testimonio infame, de que Dio querella el Padre del estudiante al superior de la compania que llamò al estudiante para tomar su dicho y antes de llegar a ello dexole e nun aposento solo el temiendose que los Padres querian haxer en el algun castigo exemplar con cuchillo que con seco tenia tentado del demonio se degollo. quando boluieron los Padres le hallaron de aquella suerte todo ensangretado supose luogo en la ciudad. y corrio la voz que los de la Compania auian muerto a vn estudiante, por que auia descubierto a quel delito abominable de su maestro. Fue tan notable el escandalo que querian todos hundir a luos nuestros y los huuiera enuestido el pueblo si no fuera por que

les guardaron por Orden del Gran Duque. Vieronse los nueſtros affligidiſſimos ſin ſaber que haZerſe, ſolo hallaron per vltimo remedio acudir à ſu S. Padre que proſtrados del ante de ſu imagen le pedian miraſe por ellos. Coſa marauilloſa que luego reuiuio el manſebo ſano de aquella herida mortal, confeſſando la vertad de lo que auia paſſado, y com ſu maeſtro eſtaua innocente de lo que le auia leuantado y que no eran los Padres los que le auian muerto, ſino el con ſu propria mano. Con eſte milagro tan patente trocaron el puello y los Padres de eſtudiante todo ſu enoſo. en aficion y eſtima de San Ignacio. y no menor milagro fue que ſe trocaſſe el eſtudiante de tal modo que agradecido a nueſtro Santo Padre, quiſo ſer ſuhiZo, y ſe entro en la Compania, donde oy en dia viue.] *Hæc Nierembergenſis. Caterum ſi hæc adeo portentoſa & ficta, valde aſſeuerantèr ſpargantur in noſtro hemiſpherio, quid in Indico? Qui plura tamen huiuſmodi examinaret, plura forſitan eadem leuitate ab eodem Nierembergenſi ſcripta inueniret.*

Sed quid turbidos quærimus riuulos ab Hiſpano Nierimbergenſi cum candidum veritatis fontem haurire poſſimus ab oculatis ipſius Vrbis Florentinæ teſtibus? Sunt namque ea de re litteræ à nobili quodam religioſo iiſdem diebus & patria lingua ſcriptæ Romam ad æque nobilem Religio ſum hiſce verbis: Molto Reuerendo Padre Mio ſempre Oſſeruandiſſimo.

Il Caſo ſucceſſo in FirenZe per mano de Padri Gieſuiti mentre mi ritrouauo in quella Città per paſſaggio, per quanto inteſi da perſone degne di fede, fu nel ſudetto modo, quale per meglio eſplicare, narrarò l'origine onde dicono procedeſſe. Era in quella Città vn giouinetto chiamato Gio. Antonio Merli figlio di Marco di

Baſtiano Merli, di età di diciotto anni in circa, il quale (benche per natiuità vile fuſſe, eſſendo che era figlio di vn ciabattino, ò ſimile che ſi fuſſe, era non però di nobile e viuace ingegno, & in particolare nel far verſi moſtraua di hauere, ò fare buoniſſima riuſcita. Hora coſtui hauendo fatti alcuni Verſi nelli quali veniua intaccando vn Padre Gieſuita detto S.T.F. nepote ſecondo dicono di Monſignor Alfonſo Gilioli Nuntio di Sua Santità in detta Città, che haueſſe mala prattica con vn giouanetto chiamato A.S. nobile de primi di quella Città, offeſe talmente, ò vero ſdegnò sì fattamente detto Padre con altri forſe, ch'hebbe à dire vna volta chè ſe gli cercaua di dare ſodisfattione, che non voleua, ne queſta era coſa di ſodisfarſi con parole, ma che biſognaua venire ad altro. Hora il giouane verſificatore per queſte parole hauendo hauuto paura della vita, ſi retirò, & ſtaua in ſaluo in vna Chieſa detta Santa Maria noua. Il Padre Gieſuita per queſto fatto non vedendoſi ſodisfatto, anzi deluſo, cercò per mezzo di altri tanto Padri Gieſuiti, quanto ſecolari, anzi per mezzo dell'Arciueſcouo della Città, che detto foſſe andato à dare ſodisfattione al Collegio in preſenza di Teſtimonij, che non voleuano altro. Il pouero Giouane indutto da queſto, & hauendo hauuto più credito di quello li biſognaua, andò con detta ſecurtà. Ma giunto al Collegio, e rimaſto ſolo con Padri Gieſuiti, ſucceſſe poi il caſo della ſua ruina, poiche fu ferito da quelli ſecondo ſi preſume di ſette, ò otto ferite, de quali ne ha tre verſo la cinna dritta, altre nella coſcia, & altri in altri luoghi. Et che queſto foſſe fattura de Padri Gieſuiti, oltre le congiettùre dette vi è anche che fu inteſo in ſtrada mentre ſi faceua il conflitto, che il giouane gridò e diſſe, ohime ch'io ſono aſſaſſinato. Et queſto è quan-

to si disse per all'hora che fu il Venerdì auanti la Pentecoste. In quel giorno vi fu chi disse, ò per dare vna botta, ò per affettione che portasse à Padri Gesuiti: Felice Giouane che è stato fatto degno di morire per quelle sacrate mani de' Padri Giesuiti. Et altri che detto giouane all'hora poteua stare securo, che fosse vno de Predestinati, & altri altre cose. Al giouane il medesimo giorno fu data l'estrema Vntione, & in Città fu tenuto per morto. Et mi creda V.S. che in Città per tutto quel giorno fu vn rumore grande, chi difendeua, chi condennaua, e chi vna cosa, & chi vn'altra. Il Padre del giouane per quel giorno fu visto gridare e cercare vendetta, & poi la sera ceno con Padri Giesuiti, i quali, secondo dicono, hanno indotto il Giouane à dire che si sia ferito da se stesso, ma per quello che fu inteso come di sopra non attacca. Dicono di piu, che vi siano andati cinquecento scudi. Altri dicono trecento. Et questo è quanto posso dire di questo. Il tutto però hò inteso dire da molti, e publicamente in Firenze. Il Giouane ferito lo lasciai, che non era morto ancora, ne si curaua appresso i detti Padri. Et molti contemplatiui dicono, che non resterà viuo, benche, habbia confessato essersi ferito da se stesso. Fiorenze 13. Giugno 1626.] Et hæ quidem sunt litteræ, quæ Tragici illius casus ostendunt veritatem, quam ipsius. Vrbis Florentinæ spectatores etiam num contestatam faciunt. Præterquam quod Versificator ille iuuenis (septem vel octo sibi illatis vulneribus summa Patrum Iesuitarum diligentia curatis) mox Fesulas prope Florentiam, ciuitatem in domum paternam se recepit: tantum abest, quod Societatem Religiosus fuerit ingressus, quinimò secularis etiam num viuat.

Demum nescio, an illud Sanctæ Inquisitioni probari posset, quod Canisium, Fabrum, Ouiedum, Anchietam, alios-

alioſque ſuos etiam optimos viros, & plura virtute conſpicuos, paſſim ſanctos, vocat. Pag. 3. Manifeſtauit matri Sancti Patris Canisij. Pag. 12. Poſtea Sanctus Pater Caniſius. Pag. 45. Sancti Patres Andreas Ouieda, Ioſephus Anchieta, Petrus Caniſius. Pag. 68. Viuente B. Petro Fabro. Pag. 75. Sancto Patri Martino Gutterrez dum eſſet Rector. Pag. 81. Deuotiſſimus ſuus filius S. Ignatius Acebedus. Et pag 82. Deuotio S. Bernardini Realini. Pag. 89. S. Ioannes Berckmannus propter teneram deuotionem. Pag. 97. S. Pater Conſaluus de Silveira conuertit Regem Menomotapæ. Pag. 114. S. Andreas de Ouiedo. Pag. 134. S. Patrem Martinum Gutterrez. Haccine ab homine, qui quarto ſe voto obediendi Pontifici obſtrinxit! Itane Pontifici, eiuſque in Sanctæ Inquiſitionis Senatu Decretis, de Sanctis, & de Miraculis ob luditur? Sed ea, aliaſque huiuſmodi in eodem libro à Nierembergenſe temerè prolata, ipſimet Sanctæ Inquiſitionis Tribunali examinanda relinquo. Sed redeo ad filum orationis.

Talia de Ignatio, & talem Ignatium proferunt Nigronius & Nierembergenſis; quæ nunquam ego adducar, ut ſine horrore cogitem, multò minus audacter & ingratè (ne dicam impiè) pronunciem. Si autem aſſeram, illum apud Benedictinos Monachos, augmentum hauſiſſe ſpiritus; ſub illis ad caſtra Dei tranſuclaſſe, quis mihi iure ſuccenſeat, cum in confeſſo illud apud omnes ſit? Si aſſeram, è monitis & documentis Exercitatorij Ciſneriani plurimum profeciſſe, num dixero aniles fabulas, ut aſſerit Cauea Turturis, ueſtro id Ribadineira fatente? Si aſſeram, nequaquam ſcripſiſſe Exercitia ſua, dum Minoreſſæ eſſet, non ab ipſius Sancti mente diſcedo, qui uoce Secretarij ſui confeſſus, ſe tractandorum animorum uſu edoctum, ſcripſiſſe illas; prorſus inſinuat ſe Minoreſſæ ha-

ren-

rentem, illius imperitum vsus, ea minimè exaraſſe. Deinde cum affirmet alicubi, ſolere exercitia ſua triginta dierum ſpacio abſolui, & Minoreſſæ nunquam totidem diebus perpoliuit vllum his Exercitijs, quomodo ab illius mente diſcedo, cum aſtruam, illum non ante reditum ab Hieroſolymis ſuum libellum compoſuiſſe? Non nego illi reuelationes plurimas, non internam Spiritus vnctionem; ſed illa ſunt argumenta, ea circumſtantiæ, ea ipſius confeſſio, illæ ſuorum voces, vt confidenter negem, in Minoreſſano tractu, ſola vnctione Spiritus docente, ſua illum Exercitia ſpiritualia compoſuiſſe: ne detractum hoc illius it dignitati aut gloriæ; cum ſemper fateamur, Diuini chariſma Spiritus affulſiſſe illi, dum librum hunc exararet: hoc arguit, hoc auget & nomen illius & ſplendorem, qui maior eſt, quàm vt incrementum ſumere ab ijs indigeat, quæ non vſque adeo vera eſſe probantur.

Quod à plurimis è Societate abeſſe conquerar, gratiſſimam illam memoriam beneficiorum acceptorum à Benedictino Ordine, quæ in Sancto illius viguit Inſtitutore, non odio illud Societatis (quam colo, veneror, idque nominibus plurimis) dicar feciſſe; cum (vt melliſluus Bernardus habet) non aduerſus Ordinem, ſed pro Ordine diſputare putandus erit, qui non Ordinem in hominibus, ſed hominum vitia reprehendit. Et quidem diligentibus Ordinem in hac re moleſtum ſe fore non timeat, qui gratum proculdubio ſunt, quod perſequitur, quod & ipſi oderunt. Ego igitur, qui non vllo Societatem odio proſequor, ſed incuſo beneficiorum acceptorum, ſeu obliuionem, ſeu minus gratam memoriam, & eidem Societati, & omnibus illam ſincero diligentibus affectu, nullam me putabo iniuriam, ſed gratiam, eamque luculentam feciſſe.

Sed aliud mihi argumentũ fuit præſentis operis edendi. Cum enim legiſſem aliorum Patriarchas Ordinum

com-

complures, ingenti ſua vtilitate, nec honore exiguo, per Benedictina roſeta diuerſantes, indeque legentes mella, quæ ſuis conderent aluearys; quidni & ego S. Ignatium, Sanctorum veterum cultorem eximium & imitatorem, eorum inſiſtentem veſtigijs, eademque floriceta peragrantem coram exhiberem. Non ibo per duodecim heroes illos, Romualdos, Odones, Stephanos, ſeu Bernardos, Cæleſtinos, Gualbertos, alioſque conſtituentes duodenos Benedictinæ arboris floridiſſimos ramos. Illi enim ſub Benedictinæ Regulæ vexillo militãti illi tanquam fundamentali lapidi ſuperſtruxerunt eam veluti pretioſiſſimam gemmam ſuarum auro Conſtitutionũ, legumque priuatarum concluſerunt & ſepiuerunt. Non igitur per eos proficiſci lubet, ſed per aliorum Ordinum Parentes, qui ad Benedictina Aſceteria conuolarunt, vt ſibi ſuiſque conſulerent Inſtitutis, documenta deſumerent, exemplar in monte intuerentur, ad quod opus à ſe inchoandum dirigerent. Et quia latius argumentum hoc proſequimur in libello de Præſtantia Benedictinæ Religionis, hic indigitari ſufficiet, quod fuſius ibi præſtabitur.

Bruno igitur Carthuſianus, alieno felix periculo, nedum Hugonis Grationopolitani, Benedictini Monachi ductu & munificẽtia, tanti Ordinis fundamẽta auſpicato iecit, promouitque incremento non exiguo: Sed & ipſe ſuiſque ſic Benedictinam preſſerũt Regulam, ſic eam, inquã, pro duce habuerunt; ex eaque præcipuè Conſtitutiones, Regulamque concinnarunt ſuã, vt tametſi, Petro Sutore teſte, ex Regula D. Benedicti, Epiſtolis S. Hieronymi, Collationibs Pautrũ, aliiſq; probatis libris ac ſcriptis, Carthuſianorũ Regula confecta ſit; tamen, eodem docẽte, Benedictinam Regulã magna ex parte ſectari voluerũt. Quidni & domeſticũ addimus teſtimonium Domni Honorati Neapolitani, in Annalibus Caſinẽſibus aſſerẽtis: In Calabria, in mõte S. Pet. Sutor de vita Carthuſiana lib. 2. c. 3. Idẽ ibi, lib. 1. c. 11.

Ste-

Honorat. Neapol. in Annal. Casin. par. 3.

Stephani à Bosco habetur corpus S. Brunonis Institutoris Carthusianorum qui postquam ædificasset Monasterium Carthusiæ in Francia, concessit ad S. Stephanum, ubi fecit Regulam, usus ad hoc Regula S. Benedicti, addensque multas Constitutiones.

In Vita eius apud Surium. ca. 3.

Norbertus Archiepiscopus Magdeburgensis, ductor Præmonstratensium, ad meliorem frugem conuersus, acceptis Sacris Ordinibus, conuertit continuo pedem, & conuertit se ad Sigebergense quoddam, scilicet Benedictini Ordinis, magnæ & præclaræ Religionis Monasterium, ubi inter Religiosos ac deuotos in omni Sanctitate Monachos, & accepti Sacerdotij usum, & certa religiosè uiuendi caperet documenta.] Quinimò postea ad idem Asceterium in grauioribus tentationibus subinde reuertentem habemus. Hoc ipsum etiam testatum uolunt eiusdem S. Norberti uitæ Scriptores Præmonstratenses, quorum unus Ioannes la Paige ita inquit: Confestim ab aula Imperatoris pedem retraxit, (Norbertus, circa annum ætatis suæ trigesimum & Christi Domini 1115.) ac domi suæ Sanctensi se continens, sæpiusque ad Cononem Sigebergensis Benedictini Monasterij (tunc admodum celebris & à Colonia tribus distantis leucis) admirandæ Sanctitatis Abbatem (qui postea Ratisbonensis fuit Episcopus) se conferens, tyrocinia quædam futuræ conuersionis aggressus est: ita ut quicquid paupertatis, quidquid afflictionis, quidquid certaminis accidere posset, illud promptissimo ac lætissimo animo amplecteretur. Neque propterea assuetas suas ac pretiosas vestes exuit, sed asperitate cilicij, ieiunio & abstinentia corpus suum sub mollibus indumentis conficiens & macerans, diu noctuque vigilijs & orationibus insistẽdo, interiorẽ hominẽ reformabat: acrioresque dæmonis tentationes ac impetus, gloriosè superabat.] Hæc ille de S. Notberto apud Benedictinos suæ Religio-

Ioa. la Paige lib. 2. Bibliot. Præmonstrat. c. 2.

Immo pretiosis exutus, Religiosis vsus est.

ligionis primordia exſtruente. Qui (vt tantæ rei erga magnum Benedictum Monaſticæ Religionis Patriarcham grauum ſe oſtenderet) Monaſtico ſe ipſum ſchemate, ſcapulari videlicet Benedictino, Canonicis aliàs prohibito, cum ſuis voluit perpetuo inſigniri.

Dominicus, quis quantuſque fuit? quanto fidei tam ipſe, quam gloriosa ipſius proles ſtabilimento emicuit? Didaci tamen Oxomenſis Benedictini Ciſtercienſis ſtudio, Ciſtercienſiumque eiuſdem Ordinis Monachorum conſuetudine & vſu, qualia Spiritus documenta hauſit? Virtutum quanta magnalia? tam habitus illius ad Ciſtercienſem amictum accedit prope, quàm Conſtitutiones, legeſque ſuæ, Benedictinorum ſtatuta ſapiunt; vt ſi Regulam, quam profeſſus eſt Auguſtinianam conſideremus, ſi leges quæ Benedictinos proximè referant, iure dixeris illum Auguſtinianorum & Benedictinorum angularem lapidem; ſic vtrumque connectit. Nec reuera mirum: quandoquidem Patriarcha iſte Sanctiſſimus Dominicus, ſicut nomen & ſpiritum a Benedictinis hauſit, ita ſuæ Eccleſiæ eorundem interceſſione mirificus & ſalutaris à Deo donatus eſt. Corpus uerò eius (ut antiqua Hiſpaniæ Breuiaria habent de S. Dominico Exiliensi Abbate) in eodem Cœnobio conditum hodie cernimus, quod S. Dominicus de Siſos appellamus: ad cuius ſepulchrum orans Ioanna Felicis Guzmani uxor olim infacunda filium impetrauit, cui Sancti huius uiri propterea nomen impoſuit. Quod quidem ipſe mira uitæ Sanctitate, Sacroque Prædicatorũ Ordine inſtituto, multo reddidit illuſtrius, quàm accepit.] Hactenus ibi. Breu. antiq. Hiſp. ad 20. Decembr.

Adhæc idem Patriarcha Sanctiſſimus Fratrem Germanum habuit B. Mamertum de Guzmano, Abbatem S. Petri prope Cumialem, in Hiſpania. Ordinis S.P.N. Benedicti; quemadmodum Didacum Vximenſem in

Hi-

Hispania Episcopum etiam habuit Institutorem: atque hi doctrina, vitæ sanctitate, ac miraculorum gloria clari Benedictinam eamdem Cucullam illustrauerunt.

Sacrum præterea Diuini Rosarij Sertum à magno Patriarcha nostro Benedicto ex Dominica & Angelica Orationibus primitus contextum, tãti Patris ab exemplo Sacer mox Chorus suorum Alumnorum vniuersus per orbem late secum circumtulit, propagauitque. Post hos autem Venerabilem Bedam etiam nostrũ excitauit sibi Deus, qui suis cum Discipulis tota Anglia, Francia, atque vniuerso fere Christianorum orbe longè lateque Psalterij eiusdem Mariani intermissam frequentationem prædicationibus suis instaurarit. Refert hæc inter alios Scriptores B. Alanus eiusdem Ordinis Prædicatorum Pater Sanctus, doctus, & antiquus Scriptor, & qui hæc ipsa se accepisse fatetur à Doctore Ioanne Bato, Scriptore antiquissimo. dum agit de Ortu, progressuque Psalterij Christi & Mariæ. Demum frigescente fidelium deuotione, Sanctissimus Patriarcha idem Dominicus Deiparenti etiam ipse addictissimus, magni Benedicti, ac Benedictinorum imitatione motus, suis cum Professoribus Diuinum hunc Rosarij cultum in Virginem Dei Genitricem non modo propagauit, verum etiam vt in dies magis magisque propagaretur, instituit. Ad hæc B. Hermannus Contractus ex sanguine Comitum Veringensium in Sueuia, Monachus etiam Benedictinus Monasterij Diuitis Augiæ, vir doctissimus Deiparæ dilectus, inter alia in huius laudem cum exaraſſet, Diuinam illam Antiphonam Salue Regina, illius excitatus deuotione Beatissimus idem Pater Dominicus, vt post Completorium solemni Cantu à suis Alumnis perpetuo cantaretur, etiã decreuit. Omitto nunc Ceremonias, Rituſque Benedictinos, quos sacer hic Prædicatorum Ordo, mei amantissimus quotidie

Alanus lib. de Psalter. B. Mariæ c. 8.

B. Hermanni Cõtracti reliquiæ in Benedictinis Germaniæ Monasterijs

die frequentare non cessat. Praterquam quod Angelicum illud Ecclesiæ lumen, Thomas Aquinas Doctoribus Benedictinis non abs re adscribendus venit. Siquidem ille (vt Ptolomeus Lucensis Dominicanus eidem Sancto Doctori à Confessionibus, atque in doctrina discipulus, cum alijs testatum reliquit) postquam apud Monachos Casinates profeciſſet in Grammatica Logica, & Naturalibus, Neapolim contendens, ſacra Theologia Magistros etiam habuit Benedictinos, doctiſſimos nempè Viros Petrum de Hibernia, & Martinum Neapolitanũ: mox vigesimosecundo ætatis ſuæ anno Parisijs Sacrum Prædicatorum habitum assumens, & anno probationis exacto, vigesimo quinto ætatis anno (vt littera Apostolicæ atque ex ijs Romanum Breuiarium testantur) Cathedram Parisiensem conscendit, docturus per ſæcula, tanquam alter Paulus, vniuersum mundum.

summo honore venerãtur. Ptol. Lucen. Hiſt. lib. 22. c. 19. M. S. apud nos, & in Biblioth. Vatic. Thom. de Aquino, Doctor Benedictinus.

Tuque Franciſce, Paupertatis Euangelicæ perfectum ſpeculum, fatebere libens, quo tu affectu Sublacensem ſpecum olim magni Benedicti reclinatorium, vna cum Hugolino ex Monacho Camaldulenſi, S.R.E. Cardinale amplexus fueris: Voluiſti inde etiam petere incrementum ſpiritus, quo ipſe robur hauſiſſet: ſpinæ olim ab illo, vt ſic dicam, indutæ, pro roſis tibi fuerunt. Eremus etiam Benedictina Camaldulenſis tuo nobilis hoſpitio, tu illius felix commercio, vbi vna cum eodem Hugolino Cardinale Benedictino, communem operam dediſti Regulæ Minorum exarandæ, in quam ex duobus Benedicti Regulæ capitibus, de Inſtrumentis ſcilicet bonorum operum, & de humilitate, plurima & pulcherrima tranſtuliſti. At quid mirum illud? cum & tu Hugolino eodem Benedictino in ea condenda vſus fueris: Teſtatur hoc Gregorij IX. Vita m.s. in Regiſtro Nicolai Cardinalis de

Aragonia, quæ tum in Vaticana Bibliotheca, tum in nostra Aniciana habetur: Minorum inquiens, Ordinem, Gregorius IX. scilicet qui ante Pontificatum Hugolinus dictus fuit, inter initia sub limite incerto vagantem, nouæ Regulæ traditione direxit, & informauit informem, B. Franciscum eis ministrantem præficiens & Rectorem, quorum, eodem rigante, ad eos limites incrementa venerant, vt præbente Diuina potentia, per singulos orbis terminos, eorum venerando consortio, vix viculus reperitur immunis. Testatur & ipsemet Gregorius, qui se ait B. Francisco in condendo suam Regulam, & obtinendo confirmationem ipsius per Sedem Apostolicam abstitisse: dum adhuc esset in minori officio constitutus.] Sed non cogam anteriores illos ad censum, cum sui illud fateantur non illibenter.

Gregor. IX. in sua data Anag. 4. Cal. Octob. anno Pōt. 4.

Aliud præter iam dictum habuit firmamentum Ordo S. Francisci ab Ordine S. P. N. Benedicti, Raynerium videlicet illum doctrina & sanctitate præstantem, qui è Claustris Benedictinis ad eundem Seraphicum Patrem se conferens, mox ab eodem & suæ conscientiæ arbiter & sui Ordinis Consiliarius constitutus est. Quamobrem Raynerio maior accessit occasio, vt non solum ipse eruditior in vita sanctitate, verum etiam plures ex eiusdem S. Francisci familia religiosi per eum studio eruditi, mira sanctitate & miraculorum gloria claruerint: Vt rerum Franciscanarum Scriptores testatum reliquere.

B. Raynerius Benedictinus S. Francisci à Confessionib.

Sed nunquid hoc loco reticenda est illa Assisias Clara clarissima Ecclesiæ stella? Hanc enim rerum Minoritarum Scriptores S. Francisci primogenitam filiam spiritualem, ac Clarissarum Ordinis Monialium Institutricem fuisse voluerunt; Nos vero Benedictini eam fuisse magni Patriarchæ nostri Benedicti Alumnam, eiusque alumnarum Monialium Damianitarum Reclusarum

sarum Regulæ Restitutricem. Restitutricem, inquam, cum multo ante S. Claræ Monachismum, (vt ex antiquis Scriptoribus manifestum fit) ea Monialium Reclusarum Institutio iuxtæ S. Benedicti Regulam haberetur. Immo illud ipsum inclusarum Virginum Monasterium Assisinate, in quo eadem S. Clara Monasticas vestes assumpsit, eiusdem Ordinis erat S. Benedicti, vt omnes Rerum Franciscanarum Scriptores etiam tradunt. Veruntamen vt huius rei veritatem clariorem reddamus, quia nullus, quod sciam, adhuc aperuit, necesse est, vt nos breuiter aperiamus.

Itaque millesimo Christi anno Venerabilis quidam Sacerdos nomine Lodulphus in quodam suo S. Crucis Oratorio, quod à loco dicebatur Fons Auellanæ in monte Apennino, in radicibus montis Catriæ positio, & non longe ab Eugubio Flaminiæ ciuitate, collectis aliquot Dei seruis vitam Monasticam, atque & Eremiticam instituit sub Regula S. P. N. Benedicti: Cuius Congregationis Monachi cum vestirentur albo, & cuculla alba atque etiam propter vitæ puritatem, cognominatæ sunt à columbâ: creueruntque, aliis etiam erectis vtriusque sexus Monasterijs, in magna vitæ sanctitate apud Deum & homines valde laudabiles. Cæterùm sancta horum conuersatione etiam motus S. Petrus Damiani, ad illos se contulit: cuius mox vitæ innocentia, doctrina mirabili, ac summa auctoritate, Monasteria illa tum Benedictinorum Eremitarum, tum Monialium Reclusarum eiusdem Congregationis Columbæ maius acceperunt incrementum. Quamobrem sicut Ordo & Congregatio Cisterciensis à S. Bernardo dicta est, ita etiam Ordo & Congregatio Columbæ à S. Petro Damiano Damiani, & Damianitarum, cuius postmodum Ordinis & Congregationis virorum ex titu propagator S. Petrus à Murrone, qui &

Hab. in Chron. eiusdē Monasterij & Congreg. M. S. cap. nos.

Cælestinus Papa V. Monialium vero Recluſarum propagatrix extitit S.Clara ab Aſſiſio. Hanc vero noſtram ſententiam veriſſimis teſtibus comprobare facillimum eſt. Et primo quidem de S.Petro Cælestino conſona nobis affirmabat Henricus Steronis,Germanus,eidem coætaneus,

Henr. Steron. Chron. edit. Frãcof. 1600.

hiſce verbis: Hic prius dicebatur Fr.Petrus de Murrone Ordinis, qui dicitur S.Damiani, ſub Regula S.Benedicti, &c. Aſſentiuntur Martinus Polonus in Vita eiuſdem S.Petri Cælestini, Petrus Riccordatus Diar. 1.hiſt. Monaſt. Arnoldus Vvion Lig.Vit. lib. 1. c.64. atque alij. Secundo,Quod ad Ordinem S.Damiani Monialium ſub eadem S. Benedicti Regula militantium ſpectat, quam plura etiam probatæ auctoritatis teſtimonia producere poſſumus, atque in primis Romanorum Pontificum: Vnde

Greg. 9. Regiſt. epiſt. 17. Vbi ſupra ep. 44.

Gregorius IX. aiebat: Abbatiſſæ ac Cõuentui pauperũ Monialiũ Recluſarũ Monaſterij S.Mariæ de Virginibus Ordinis S.Damiani Fauentinæ Diœceſis,&c. *Atque etiam Gregorius idem Nonus,* Abbatiſſæ Monaſterij S.Mariæ, & S.Appollinaris extra portam Romanam Mediolanenſem. *Et poſt pauca:* In primis ſiquidem ſtatuentes,vt Ordo Monaſticus,qui ſecundum Deum & B.Benedicti Regulã, atque Inſtitutionem Monialium Incluſarum S.Damiani. *Hæc ille. Cui ſuffragatur Martinus Polonus de Alexandro Papa IV. loquens,dum ait:* Hic canonizauit Anagniæ S.Clarã,quæ fuit Ordinis S. Damiani. *Quamplura alia breuitatis cauſa nunc præterire liceat eadem de re teſtimonia, cũ etiam ijs multo plura in ſuis Franciſcanis Annalibus referat A.R.F.Lucas Vvadingus amicus meus & Scriptor eruditiſſimus & candidiſſimus. Sed Superioribus vnum illud magni ſane ponderis teſtimonium quin addam, ſufferre non poſſum. Siquidem Balduinus à Brunsvvick Frater Germanus Minorita illorum temporum Scriptor in rem noſtram*

ita testatum reliquit: Anno Dom. 1237. S. Clara misit sorores aliquas, Sanctas Virgines ad Boemiam & Alemanniam, quæ per Tridentum, vbi Monasterium pro eis erectum est, venerunt Vlmam: vbi aliquæ ex ipsis remanentes, cæperunt ædificare pauperculum quoddam Monasterium, siue habitaculum in quodam loco dicto, Vff dem gries, vbi modo est Hospitale S. Elisabeth satis opulentum: vbi primum sub Regula seu Institutionibus S. Benedicti vixerunt, Obseruantes nihilominus Cõstitutiones S. Clarę Matris suæ: tandẽque Regulam S. Benedicti relinquentes, Institutionibus S. Claræ totaliter inhæserũt. *Hæc Balduinus. Verum hæc mutatio potius nominis fuit, quàm S. Benedicti Regulæ: Idque non sine Fratrum Franciscanorum, ac Monialium Benedictinarum controuersijs & contentionibus.* Baldui. Chron. M. S. hab. Romæ ī Bibliot. S. Isid or. Fratrum Hibernorum.

Quamobrem Ioannes Papa XXII. sub Datum Auinione 1. Octobris Anno Christi 1326. in Priuilegio, quod confert eisdem Monialibus Inclusis, vocat eas indifferẽter à S. Damiano, à S. Clara & à Minoritis, sub hisce verbis: Ioãnes Episcopus seruus seruorũ Dei. Dilectis in Christo filiabus, Vniuersis Abbatissis & Conuentibus Monialiũ Inclusarũ, siue Ordinis S. Clarę, siue S. Damiani, seu Minorissæ dicãtur, Salutem & Apostolicã Benedictionem. Sacra Vestra Religio, &c. *Quãdoquidem cum Benedictinorũ Monialium istarum regimen Frãciscanis Minoritis fuerit commissum, hinc factum est, vt multos post annos illorum opera, & nõ sine litibus & controuersijs magni Patriarchæ Benedicti Regulæ memoria, atque etiã honorabile S. Damiani cognomentum Benedictinæ Damianitæ Virgines reliquerint: Etiamsi illas etiam, quas dicunt Sanctæ Claræ Constitutiones, & quas ad hunc vsque diem obseruant eadem Moniales, ex Regula Sancti Benedicti desumptas conscripserit Hugolinus Mona-* Ioann. 22. Priuil. hab. plumb. Spoleti in Eccl. S. Simeon.

chus Benedictinus, antequam ad Cardinalitiam & Pontificiam dignitatem assumeretur. Præterquam quod Moniales ipsæ etiamsi nunc dicantur à S. Francisco Minoritæ, nihilominus scapulare Benedictinum, alias Minoritis insuetum, & prohibitum, quod deferunt: Atque illud dignitatis nomen, Abbatissa, qua reguntur eædem Moniales, patentissimè demonstrant, suæ Institutionis originem, & progressum à S. P. N. Benedicto se habuisse, atque etiamnum profiteri. Regulæ igitur Benedictinæ professione, ac speciali Religionis eiusdem gloria; ex Superioribus iam satis probatum est: S. Claram sacris cum suis filiabus Virginibus magno Patriarchæ Benedicto adscribi debere, prout etiam latius in nostro de Præstantia Religionis Benedictinæ opere demonstramus.

Sed ad alia nunc procedamus, & veniamus ad sequiora, ad alium nempe Minimum nomine, Maximum vero Sanctitate, Franciscum Paulanum: qui apud Citrarium oppidum prope Paulam, ad xii. m.p. in Monasteriolo iuris Monasterij Montis Casini, vitæ religiosæ & sanctitatis rudimenta peregit: tantisque felix auspicijs, ad eundem Casinum montem postea diuertit, decimumtertium annum ætatis agens, & Christi Domini anno MCCCCXXIX: & in vicina solitudine (vt Nicolaus Montoia in Chronicis eiusdem Religionis inter alios testatum reliquit) sub Casinensium Monachorum Magisterio quatuor ferè annis, veluti in pulcherrimo stadio se exercuit: montemque sanctissimæ perfectionis in eo sacro monte conscendit: atque inde discedens, non ita multo post noui Ordinis fundamenta iecit, pluraque è Benedictina Regula in suas leges transtulit. Nec insolens illud creditu, cum Franciscus Binet, secundus ab eo Generalis, antea vero Prior Monasterij Mamertini in Gallijs, Ordinis S. Benedicti, in legibus scribendis præcipuè astiterit illi.

Et

Et Bernardus Boillius magni illius ſerui Dei, Bernardi Boillij Monachi Montiſſerrati atque Occidentalium Indiarum Apoſtoli primi, Patruus, & ipſe magnus Dei ſeruus, eiuſdem Aſceterij Benedictinus, diſcipulus etiam iam dicti Beatiſſimi Franciſci de Paula, primus fuit, qui miſſus ab eodem in Hiſpaniam, Religionem ſuam Minimitanam ibidem plantauit, propagauitque: cuius rei cauſa, in itinere mox vnà cum ſocio à quibuſdam Mauris martyrio affectus, vtramque Religionem tum Benedictinam, tum Minimitanam inſigniter illuſtrauit. Hinc Minimitanæ Religionis ſcriptores affirmantes, Bernardum hunc fuiſſe tandem Epiſcopum Gerundenſem, maximè aberraſſe cognouimus. Nam qui eius Sedis Epiſcopus fuit, licet ex eadem familia Boillia, Guilliermus tamen dictus, ex Clerico ſæculari ad eam dignitatem multo poſt mortem ipſius Bernardi aſſumptus eſt, anno videlicet 1508. obijtque 1532. Id quod nos ex illius Eccleſiæ tabulis animaduertimus. Hinc in tanti viri Franciſci Paulani, memoriam, gratiſſimi hoſpites Caſinenſes ei in Sanctos relato poſuerunt Aram in Eccleſia Caſinenſi, quæ diu poſtea ſtetit, quouſque anno MDÇX. omnium Ordinum Fundatoribus (ea S. Franciſci amota) Tabulam ſtatuerunt. Ant. Moral. Hiſt. Monaſter. Andalucię.

Verum hoc loco prætermittere non poſſum craſſam oſcitantiam illorum, qui nimis audaciter conſtituunt ex patruo & nepote Bernardum Boillium vnum, cum reuera duo fuerint: id quod nunc breuitati ſtudens, inuictis tantum duobus argumentis probare poſſum. Primum, quod Bernardus nepos, dum Alexandri VI. Pont. Max. Vicarius & Patriarcha Indias peragraret, Regnum Dei Euangelizans Idololatris illis gentibus per eoſmet tres annos & menſes ac dies Bernardus patruus etiam ex Benedictino Monte Serratenſi, Vt dicebam, S. Franciſci

Paulani discipulus, & Minimorũ Prouincialis peragrabat Hispanias erigendo atque extruẽdo sui Ordinis Conuentus. Hanc de vtroque veritatem nos facili negotio confirmare etiam possumus Pontificijs Diplomatibus, & Regijs Chartulis ac Scriptorum testificationibus; quæ sicut de patruo referunt eius Ordinis Minimorum Historici, ita de nepote Historici omnes ferè qui de eius ad Indos Apostolatu pertractant.

Secundum argumentum aquè validus est, quod Bernardus patruus ad cœlos abijt Martyrio affectus à Mauris circa annum Christi Millesimum quingentesimum. Bernardus vero nepos ex India Occidentali reuersus, ex spolijs inferni onustus, victor glorioſissimus, omnibus mundi huius dignitatibus postpositis, vt Deo & sibi solum vacaret, in Monasterio Ordinis nostri S. Michaelis de Cuxano non longe ab Vrbe Barcinonensi se recipiens, eius loci Abbas pietate & meritis clarus sancto fine etiam quieuit, circa annum Millesimum quingentesimum vigesimum.

Illescas hist. Pontif. in Paulo IV. Io. Castagnilla de Vir. Illuſ. Ord. S. Ben.

Theatinos Patres ad hæc signa redigam? Quicquid sit de eorum Instituto, quod documentis è Benedictina Regula petitis, interspersa iacet, non minimum debere se fatebuntur pro Paulo IV. Pont. Max. ac B. Caietano, Fundatoribus suis, aliisque eiusdem Religionis Patribus primis à Benedictinis in Monasterijs, præsertim Sacri Casini Montis, S. Seuerini Neapoli, S. Pauli Romæ, ac S. Georgij Venetiarum, eruditis: vt non solum Scriptores pro testimonio dicunt, verum etiam eorundem met Theatinorum Patrum per manus ducta traditio confirmat.

S. Philippus Nerius.

At enim vero S. Philippum Nerium Congregationis Oratorij Satorem, nemo homo negabit, à Benedictinis in sublimem virtutis apicem euectum. Hic enim sublimioris perfectionis fundamenta iecit in S. Germano, & Casino

mon-

monte. In quibus locis, per tres continuos annos, ductore præsertim ac doctore Eusebio ab Eboli, nobili Neapolitano, Sacri Casinensis ipsius Canobij Monacho religiosissimo, sanctarum virtutum, aquè ac Religionis spiritum hausit. Caietæ mox in eiusdem Ordinis S. Trinitatis Monasterio, prope montem, (qui Christo moriente tres in partes scissus est) fouit tantas spiritus irrorationes ab anno Christi MDXXXIII. ad MDXXXV. ætatis suæ decimo octauo ad vigesimum: ac tandem Romæ, Benedictinis duobus, altero S. Pauli via Ostiensi, altero Cistercienſi ad tres fontes, Monacho, auctoribus, expeditionem Indicam vel Hierosolymitanam, quam ipse secum meditabatur, in Stationem Romanam commutauit: ab ijsque plurima, eaque præclara sanctioris disciplinæ documenta hauriens, summum perfectionis verticem conscendit, Quare etiam si tanto thesauro Roma fruitur, Benedictinis acceptum referat.

Demum quid ni his adiungam Sãctissimis Viris Eminentissimũ decus S. Carolum Borromeum? Hunc S.R.E. Cardinalem Pij IV. ex sorore nepotem, ad altiora currentem, montemque Casinum profectũ excepit Angelus Sangrinus eius S. Canobij Abbas, anno reparatæ Salutis MDLXII. in dubio consilio S. Philippi Nerij, qui tum ei à sacris confessionibus erat: quique libentissime illud eidem S. Carolo suggessit, quod sibi vtilissimum fuerat expertus. Prout tam ab ipsomet Angelo Sangrino, quam ab eiusdem Canobij Senioribus accepi. Ipsique vias Domini demonstrauit, per multos dies docuit eum semitas iustitiæ, & in eximiæ sanctitatis virum erudiuit. Scilicet is Angelus fuit, qui sicuti Monachus religiosæ vitæ cultorem, & Institutorem Sanctum Ignatium prius erudierat, ita Prælatus Eminentissimum Prælatum hunc & Sanctissimum Præsulem Carolum Borromeum instruxit, S. Carolus Borrom.

&

& efformauit. Vnde veneranda memoria Fridericus Cardinalis Borromeus, Archiepiscopus etiam Mediolanensis, illiusque Consobrinus, in tanta rei memoriam, Monasterium Casinense, quod ipse quoque Fridericus inuiserat, Aegidio Abbate, sub annum Christi MDLXXXIX. hæcque acceperat, eiusdem postea S. Caroli Reliquijs donatum voluit die xviii. A.C. M DC XXI. Vt publico illius scripto constat. Nec eo solum, sed & cum ingentes eum difficultates circumstarent, magnamque Ecclesiæ suæ ruinam minarentur, propterea (inquiunt ipsius Vitæ scriptores) Anno Domini MDLXXIX. decreuit ad alterum Benedictinorum Asceterium, Eremum videlicet Camaldulensem proficisci: ibique se includere, vt solus cum Deo negotium hoc ageret, quod & postea fecit diebus compluribus. Nec mirum, tanti tantos viros fecisse Casinense Asceterium, cum ad illud à viris Sanctissimis, à Principibus, Regibus, Imperatoribus, Episcopis, Patriarchis, Pontificibus summis concursum fuit, ad venerandum totius Monasticæ Religionis caput fontemque, & documenta inde spiritus, morumque hauriendum. Solemnissimus enim, immo constantissimus mos fuit Romanorum Pontificum (vt alibi latissimè probatum dabimus) statim ab inauguratione Casinum proficisci, vt vota S.P. Benedicto persoluerent, eumque suis rebus tutelarem poscerent. Quid igitur monstri habet, quid admirationis, S. Ignatium tantorum virorum pressisse vestigia, exemplis institisse, Casinumque aliaque Benedictina Asceteria inuisisse; tum ad impetrandum vniuersalis Legislatoris ductum & patrocinium: tum ad ediscenda Instituta, quæ suis postmodum ferret, quibusque Rempublicam à se fundandam erudiret; præsertim cum præter communem Patriarcharum vsum & consuetudinem, tot priuatæ consuetudines, tot accepta à Benedictinis Asceteria

ria, Benedictinus gestatus habitus, quin & Benedictina illius ad aliquod tempus professio, ad hoc eum excitaret. Hæc sunt quæ præfari volui Reuerendis Admodum Paternitatibus vestris: Cætera valete in Domino Iesu, & amantem me Societatem vestram, redamate.

Magister Fr. Dominicus Grauina, ex Sacro Prædicatorum Ordine, vir pietate & doctrina clarus, in opere suo dicto, Cognominata vox Turturis, Cap. 10. de sequenti libro ita scribit:

Eumdem S. Ignatium Monachorum Occidentalium Parenti, S. Benedicto nomen dedisse, demonstrat Venerabilis antiquitatis Scrutator Domnus Constantinus Abbas Caietanus in suo Opusculo M.S.

Fol.14.lin.5. post illa verba: Addensque multas Constitutiones, adde sequentia.

Imò certè quod argumentis probatum est, demonstrare etiam possumus Auctoritate Apostolica. Extat apud nos Innocentij Papæ III. Bulla 17. S.R.E. Cardinalium manibus subsignata, dataque Laterani 9. Kal. Febr. Incarn. Dominicæ anno 1199. Pont. II. In qua Summus idem Pontifex confirmat bona Prioris & Monachorum Carthusianorum Monasterij S. Mariæ de Casotulo, Ord. S. Benedicti, in regione Pedemontana: Quodque primum in Italia, vt ex illius Archiuo constat, eiusdem Ordinis Monasterium anno Christi 1172. fuerat fundatum. Romani Pontificis verba sunt. [*Innocentius Episc. Ser. Ser. Dei. Dilectis filijs Petro Priori Monasterij Sanctæ Mariæ de Casotulo, eiusque In primis si quidè statuentes, vt ordo Monasticus qui secũdum Deum, & B. Benedicti Regulam, atque institutionem Carthusiensium Fratrum in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur, &c.*]

Bulla Innoc. III. edita est in Ciuitate Mõtis Regalis, ann. 1630.

Apostolico huic testimonio aliud accedit Girberti videlicet Abbatis Nouigenti in Gallijs, coætanei prædicto S. Brunoni, Carthusianorũ Instituteri, qui dum recenset Religiosissima eorũdem Monachorũ exercitamenta tum primùm in Cartusia Gallicana ab ijsdem exculta, ita subsequẽter affirmat: [*Sub Brunone Priore agũt; Vices autem Abbatis, aut Prouisoris Hugo Gratianopolitanus Episcopus, Vir plurimum religiosus, exequitur.*] *Hæc ille. Cæterùm fuerat S. Hugo Gallus, & ante Episcopatum ex Monacho Cluniacensi Abbas etiam Benedictinus in Gallijs. Sed ex modò dictis itidem apparet quã iniustè detrahãt Io. Trithemio, Abbati nostro doctissimo, recentiores quidam eò quòd asseuerauerit, Carthusianorum Ordinem in Regula S. Benedicti militasse.*

Girb. Abb. lib. de Vita sua.

Io. Trith. de Vir. Ill. Ord. S. Ben. lib. 1. cap. 3.

Pag.15.lin.5. Post testimoniu S. Norb. adde verba sequentia.

Præterquam quod eundem S. Norbertum cum suis Præmonstratensibus Monachis, vel Canonicis in Regula primùm S. Benedicti, postmodum verò S. Augustini militasse, Testantur hoc ipsum Itali Scriptores, Iacob. Philip. ad annum Domini 1119. Et Marcus Guazzus sub anno 1120. Hispani, Ioannes Pineda in Monar. Eccl. lib. 22. cap. 22. §. 6. & Gonsaluus in Historia Pontificali lib. 5. cap. 20. in fine: nec non Arnoldus Vvion lib. 1. c. 71. Ligni Vitæ.

DOMNI CONSTANTINI ABBATI CAIETANI VINDICIS BENEDICTINI,

De Religiosa S. Ignatij, siue S. Enneconis, Fundatoris Societatis Iesu per Patres Benedictinos Institutione.

SI frustra in multis, in hoc tamen, non iniuria quæritur de natura genus humanum, quod totus ille Patrum Illustrium vigor, sæpe sæpius non transfundatur in posteros. Heu miseram humanarum rerum conditionem, heu ipsosmet ordines Religiosos, mutationi (siue eam imbecillitatem naturæ dixeris, siue instabilitatem) obnoxios. Multum enim in Regularium nonnullis deferbuit Apostolicus Patrum suorum vigor, qui vt reuiuiscat, optandum plurimam, plurimum sudandum est. Verum enim vero in tanta annorum ei sęculorum successione, si remitant aliquid ex vigore pristino antiqui Ordines, infirmitas communis, vetustatis morbus, plurimum eos excusatos dabit; at in ijs, qui non toto sæculo ab hinc progeniti fuerunt, ista res maiorem spe ciem iustæ querelæ habet.

Haud

Haud ita pridem, non tam oculis omnium patuit, Iesuitarum, pro Fundatore suo in Sanctorum numerum relato, exhibita sollemnitas; omnium manibus volutata Relatio, habita quidem ab Eminentissimo Domino Francisco Maria Cardinale de Monte, in Consistorio coram Gregorio XV. Pontifice Maximo sacroque Purpuratorum cœtu, ex eorum vero excerpta informationibus, omnium ore versata illius vita ex authenticis Processibus, vt prætenditur, collecta (etsi reuera plus media parte ex ipsorum collecta historijs) quam desiderata fuit iusta & debita memoria Benedictinorum Patrum, Benedictinaque Religionis, quibus post Summum Deum, non tam sua præcipua Instituta, quam seipsum ad meliorem frugem conuersum, Ignatius debet. Sub Benedictinorum etenim ductu, à castris sæculi ad castra transiuit Dei, à Benedictinis in militem Christi formatus, apud eos emisit vota. Ab ijs iam constitutus Sacræ dux militiæ, adiutus præcipuè & instructus in Statutis condendis fuit; ab ijs potissimū hausit consuetudines & instituta, quæ suæ Ignatiani Religioni volunt & ornamento præcipuo & Ecclesiæ adiumento fuisse.

Porro, in laudata Relatione, dum Maximorum Sanctorum, quorum vestigia pressit S. Ignatius, mentionem, idque meritò, faciunt, e numeratis Athanasio, Basilio, Nazianzeno, Cyrillo, Hieronymo, Augustino, Bernardo, Dominico, Francisco; ex electissimis pharetræ Dominicæ sagittis vnum, Benedictum videlicet, qui primarijs Fidei Catholicæ Satoribus annumerandus venit cuique & alumnis suis vniuersa propemodum Europa, fidem aut plantatam, aut restitutā debent, silentio, (iniustæ dicam?) inuoluerūt. Quinimò in vita eius quam longissimam scripserunt, & totam

Vita eius scri-

tam volunt ex ipsis informationum fontibus haustam, ne semel quidem S. Benedicti mentionem injciunt. Quæ præteritio, vt alia, quæ Benedictino nomini debuit Ignatius, omittam, eo plus videtur admirationis habere, præsertim in actu apotheosis illius, quod vni eam ex Benedictina Regulæ Patribus tãquam primo motori, Iulio Nigronio Iesuita teste referenda esse videtur. Nam primus, vt ait ille Ignatium laudauit Luysius Strada Hispanus ex Ordine S. Benedicti, maximæ tunc in Hispania auctoritatis, qui in epistola, consolatoria adnostrũ Ordinem iam commemorata diffunditur in laudes virtutum S. Ignatij, quem grano sinapis similem facit, quod magnam creuit in arborem; & eum sæpe vocat Sanctum, Venerabilem, & sanctæ memoriæ virum] hæc Nigronius. Quid quod abire lõgissime à grata memoria beneficiorum acceptorum à Benedictina Religione parum fuit non nemini, qui tectus alieno nomine (turpior enim suus illi visus fœtus, quam vt palam se parentem agnosceret) notissimum & celeberrimum studium Clanonij in excolendo Ignatio atque docẽdo in Serratomonte inter anifabulas retulit. [*Fabula (inquit) est S. Ignatium Societatis conditorem à Diuino institutore Gallo, cui nomen erat Ioannes Clanonius, quique in Monteserrato S. Benedicti Cœnobitam egit, partim didicisse, partim vsu & exercitatione ea notasse, quæ maximo animarum fructu, componeret, atque euulgaret.*] hæc non nemo, qui dum caueam turturi struere, grauissimis memoriam recepti muneris vinculis oppressit, obruit compedibus.

pta Italicè & Romæ impressa.

Iul. Nigron. Cõmentar. in regul. Comm. S.I. par. 1. nu. 17. Luysius Strada edita, 1557.

Vtinã beatissima mens Ignatij, qui iam in cœlo residens, & Benedictinorum in se merita dulcissime recolit filiorum suorum intuetur deferuescentem erga eos-

eosdem Benedictinos amorem & obstupescit totius huiusce litis arbiter esset; non minoribus se fateretur vinculis gratitudinis erga Benedictinam familiam teneri, quam quererentur asperrime suorum quempiam eadem vincula non tam dissoluere conari, quam rumpere.

Non hic in scenam voco vniuersa Benedictinę Religionis in integram familiam Ignatianam merita; non extructas Domos, fundata Collegia, susceptum illius patrocinium ab vsque eius origine, non sexcenta alia beneficia, quæ iustum volumen postularent: nec eos, quicunque tandem fuerant prosequar amarulento calamo, qui in Salisburgensis Vniuersitatis sub Benedictinorum ductu erectione; aut nupera hac bonorum Ecclesiasticorum, sperata restitutione, & exuere Benedictinos antiqua possessione, & eosdem scriptis apud Principes traducere conati sunt. Roma, Germania, aliæque Prouinciæ, querelis eis plenæ sunt. Non ea ingeram quæ factitarunt alibi Benedictinis è Collegio quodam Belgij eliminatis, Impræsentiarum sufficiet. expostulasse, commutatum in nepotum complurimis, Sanctissimi Patris Ignatij erga magnum Patriarcham Benedictum, eiusque familiam, affectum: cum tot & tanta cum eodem fundatore suo à Benedictina accepisse Religione Iesuitæ fateantur, necesse est.] Quam plurimis, inquam; nec enim de vniuersis queror. Iacobus Aluarez verba ista grauissima & verissima protulit. *Venerandus, (inquit) omnium Sanctarum Religionum Patriarcha Benedictus, ac specialiter nostræ Societatis Pater Sanctissimus, in cuius Illustrissimo & obseruantissimo Cœnobio B. Mariæ Montisserrati B. P. Ignatius à militia sæculi ad Christi militiam conuolauit.* Et huius Venerabilis viri sententiæ alios quosdam ex

Iac. Aluar. p. 4. l. 4. to. 2. de orat.

ijsdem

ijsdem Patribus, adherere, qui perquisierit, certò sciet. At non ita multi illi, & in dies pauciores euadunt, deficiuntque à primorum Patrum affectione. Nos igitur cupientes ad veritatem istâ omnes pertrahere, aut saltem refricare illis memoriam, ne Benedictinorum merita in Fundatorem suum, atque adeo in eos, deueniant aliquando apud eos, aut posteritatem in obliuionem; hoc loco breuiter ostendemus, quantum Religioni Benedictinæ debeatur ab Ignatiana Societate quę in Fundatore suo tam pręclara beneficia à Benedictinis accepit.

De Patria & nomine S. Ignatij, siue Enneconis. Caput I.

VT dicenda melius intelligantur, hæc de patria S. Enneconis & nomine prælibamus. Natus fuit (vt omnes historiæ Iesuiticę testantur) in ea Cantabrię Prouincia quæ Guipuzcoa dicitur Beltramo Loiola, & Maria Sanchez, (alij Marinam Sonam appellant) parentibus, felici & mundo salutari partu. Nobiles quidem illi: an vero Loiolæ & Ognies Domini & Toparchæ, vt Iesuitæ asserunt, abunde rationis ad dubitandũ est Loiola enim nequaquam inter villas, aut oppida connumeratur. *Errat* (inquit Stephanus Garibaius & ipse Cantaber & Guipuzcoe ortus, cui propterea de rebus Prouinciæ suæ scribenti optima fides adhibẽda est) *qui Loiolam asserunt villam esse, cum familia ea insignis sit parentum maiorum, sita, sicuti & familia sua primitiua de Ognies, in medio & centro totius Guipuzcoæ.* Qui igitur Beltramus, Loiolæ Dominus, qui Toparcha erit, si Loiola villa, si oppidum non sit? *Steph. Gariba ius hist. tom. 3. li. 30. c. 5.*

Nec etiam Ognies, oppidum vel villa fuit, sed quoddam ipsius Beltrami cognomentum, seu familia, potius, vt Garibaius in proxime citatis verbis testatur; Sicuti, inquit, familia sua primitiua de Ognies. Bene quidem est, quod in ea ipsa Cantabriæ regione oppidum sit Oña hispanice dictum, latine vero Omnia; in quo antiquitus constitutum nobilissimum S. Saluatoris Ordinis S. Benedicti Monasterium, quod (attestante eruditissimo Antonio Iepio) ex veteri religiosissimorum Hispaniæ Principum concessione, possidebat triginta octo supra centum villas, interque eas ipsum oppidum de Omnia, vt amplissimum Priuilegium Sanctij Garciæ Comitis manifestum facit, verba Priuilegij sunt: *Hæc est concessio quidem tam Monasteriorum, quam villarum: in primis ipsa villa Omnia, quæ est sita super litus fluminis Vessicæ, tàm cum montibus quam cum paludibus, &c.* Hanc vero villam Omniam, in hodiernum vsque diem idem S. Saluatoris Benedictinum Monasterium & spirituali & temporali possidet iure, ita vt cuilibet nec in mentem venire possit, Beltramum S. Enneconis Patrem illius villæ Omniæ fuisse Principem. Hinc igitur Garibaius ait. *Beltramus de Loiola & Ognies, Dominus nobilis familiæ Loiolæ & Ognies, quæ sunt in prouincia Guipuzcoa, in iurisdictione oppidi Apseithiæ.* Et Relatio facta in Consistorio secreto coram Gregorio XV. à Cardinali de Monte. *Natum (ait) Ignatium in ea Hispaniæ regione, quæ ad Pyreneum pertinet, in oppido Apseithiæ, Pampelonens. Diocesis, Anno MCDLXXXXI. ex Beltramo Loiola & Maria Sanchez, Nobilibus, Catholicis, & pijs parentibus.* Non igitur Dominum, aut Toparcham cum Ioãne Petro Mapheo, Petro Ribadineira, Nicolao Orlandino, & Bidermanno, Loiolæ & Ognies oppidorum,

Anton. Iepius tomo 3. Chron. S. Ben. ad annũ 1011.

Garibaius hist. li. 30. c. 5.

rum, sed Loiolæ & Ognies familiarum caput, vt habet historiæ veritas, appellamus. Et consequenter errant, lectorique imponunt, qui oppida, Loiola & Ognies dicunt; aut Ignatium vel illius genitorem, eorundem Dominum & Toparcham. Et profecto instar demonstrationis mihi sunt tanti ponderis auctoritates: nam si ille Loiolæ & Ognies oppidorum fuisset Dominus & Toparcha; illud, nec latuisset Garibaium, qui ex eadem Prouincia fuit; nec siluisset idem ipsum Relatio facta pro illius Canonizatione, quæ minora plura commemorauit: sed procedamus.

Hæc ideo intulimus de patria S. Ignatij siue S. Enneconis, vt eum constet in vicina Monasterij Omniensis natum. Monasterij autem Omniensis Abbas quidam Enneco, vulgari Hispanico Innigo, tanti inter Sanctos nominis, & apud populos venerationis fuit, vt Breuiarium Monasticum Hispanicæ Congregationis dicat: Innumeram hominũ vtriusque sexus multitudinem quotannis Kalendis Iunij, ex fere triginta illius regionis populis circumquaque cõstitutis ad Omniam cœnobium solemni pompa conuenire. Igitur cum tanta vicini populi deuotio erga hunc Sanctum fuerit; & solenne exiftat, vt quos Sanctos præcipuè colunt Parentes, patronos eos suis asciscant filiis, illisque eorum nomina imponant; propterea enim Dominicus familiæ Prædicatoriæ institutor, Franciscus Paulanus, Nicolaus Tolentinus, S. Dominici Exiliensis, S. Francisci Assisiensis, S. Nicolai Bouensis, nomina gerunt) propter hæc, inquam, facile est suspicari, pios Ignatij parentes (vt eos Relatio supra laudati vocat) ex pio erga hunc S. Enneconem & patronum suum affectu, ad recolendam sanctissimam

Breuiariũ Monasticũ Cõgreg. Hisp.

memoriam illius, eiusque tutelam filio procurandam, cognominem illi suum natum feciſſe. Non enim vocauerunt eũ Parentes Ignatium, ſed Enneconem. Ignatius enim propterea dictus eſt, quod ea vox apud cæteras nationes frequẽtior eſſet, quã nomen Enneconis qua de re Petrus Ribadineira eius vitæ ſcriptor: *Inigo de Loyola Fũdador, y Padre de la Compania de Ieſus.* Et non multo poſt: *Inigo, que con dichoſo y bien auenturado parto ſalio al mundo, para bien de muchos: à quien llamaremos de aqui adelante Ignatio, por ſer eſte nombre mas camun à las otras Nationes; y el mas contido, y vſado.* Suffragantur Ribadineiræ Stephanus Garibaius, Antonius Iepius, atque Hiſpaniarum ſcriptores alij. Qua igitur fide, ſeu leuitate potius, vt gemmam intexuit vitæ S. Ignatii, & vt monſtrum aliquod miraculi, inter admiranda retulit Ioannes Nierembergius ſequentem fabulam: Maius, inquit, prodigium refert Melchior de la Cerda, Aliique qui id affirmant; habeturque in M.S. Collegii Complutenſis: quod dum baptizaretur S. Ignatius, dubiumque eſſet obortum, quo nomine vocandus eſſet, ipſe ſibi infans nomen impoſuit, quo ſignificatur officium, quod habiturus eſset in Eccleſia. Certum eſt illum id muneris obijſſe propter quod Filius Dei venit in mundum ſicut in Euangelio dicitur veniſſe vt ignem mitteret in terram qua omnes charitate arderent: & Ignatius eum ſignificat qui ignẽ mittit. Sed en lector, metipſa Nierembergenſis verba: *Mayor prodigio refirieron el P. Melchior de la Cerda, y otros que lo han afirmado y en vnos manuſcritos del Colegio de Alcala, ſe dice, que, dudandoſe quando bautizauan à San Ignacio, como le llamarian, el miſmo Nino ſe puſo nombre, con el qual ſe ſignifica*

Petr. Ribadin. Vit. S. Ignat. lib. 1. c. 1. edit. Madrit. An. 1583.

Enneco quare Ignatius vocatus ſit.

Io. Euſeb. Nierembergen. Vit. S. Ignat. cap. 1.

fica el oficio che auia de haZer en la Igleſia. Locierto, es que tuuo entre los hombres la miſma ocupacion, para que el Hyo dDios vino al mundo, como en ſu Euangelio e dize, que vino para echar fuego en el, para que todos ardieſſen en caridad: y Ignacio eſſe quere deZir, el que arroga fuego. Hæc ille. Sed quam, amabò te, lector, hic nobis cantilenam, quam fabulam canit, in confeſſo eſt. Nam Enneconem illum in infantia, in iuuentute, & tum demum Ignatium, ſuorum ſequacium confeſſione dictum, cum iam mundo innotuiſſet, quod notius eſset Ignatij nomen, ex ſcriptoribus eidem S. Ignatio coætaneis certò certiùs probauimus, quid iſte nouiſſimus ſcriptor effundat, reuera non intelligo. Sed huius modi prodigiorum non vnum inueniet qui eiuſdem Nierembergenſis libellum vel oſcitanter tantummodo perlegerit. Et hæc de patria S. Enneconis, ſiue Ignatij, & nomine eiuſdem. Quomodo autem ſe habuerit pueritia illius, quam proprij eius alumni ſilentio propemodum inuoluunt, non diſputabimus; ad ea, quæ inſtituti noſtri magis propria ſunt, deuenientes.

Nierembergeſis commentum de nomine Ignatij.

S. Enneco, ſiue Ignatius, militiam mutat ſub ductu Benedictinorum Patrum, & ab iis ad vitam perfectiorem eruditur.
Cap. II.

NOn caret igitur probabilitate ſua, S. Ignatium in natiuitate ſua, à S. Ennecone nomen hauſiſſe, illumque agnouiſſe tutorem, patronum ſenſiſſe,

At vero regenerationem, seu conuersionem eiusdem Benedictinorum Patrum ductu auspitijsque stetisse, certissimum est totum enim illis subdidit se totumque permisit; vt, siue laus aliqualis sit, tantum erudijsse virum, seu debeatur aliquid à Societate pro opera in Institutore suo informando collocata felicique, laus ea Benedictinorum erit; æs illud Benedictinis Patribus Enneconiani Patres debebunt. Nam, (vt literis consignarunt Historici Societatis Iesu) S. Enneco vitam exorsurus nouam, Anno Christi 1522. die 24. mensis Martij, prouectus est ab illo spiritu, qui deducit iustum per vias rectas, ad S. Montemserratum, tanquam admunitissimam Religionis arcem, viris; armisque spiritualibus færam, Benedictinorum videlicet Cænobium, vbi fortissima arma cælestia nouo Christi militi poterant abundè suppeditari. Florebant in hoc clarissimo Monasterio, duo inter cæteros exercitatissimi religiosæ militiæ veterani: alter Michael Fernerius, Valentinus, Monachus & pænitentiarius, vir in sacris paginis maximè versatus, eatumque cómentator, & ad populum Ecclesiastes: Alter Ioannes Clanonius, siue Chianones, Gallus, ex oppido Miralpes, Monachus item & pænitentiarius, de cuius sanctitate multa mira narrantur, quæ nos consultò breuitatis ergo prætermittimus: Satis sit hoc loco referre eius admirandum exitum, qui solet vitam actam comprobare. Obijt enim tranquillissimo genere mortis, nullo morbo pressus, senio cófectus, ita vt e Missæ celebratione se addicaret, sed quotidie communione sacra reficeretur; quam cum more suo, in peruigilio Corporis Christi Anno MDLXIX. sumpsisset, & post prandium, veluti quieturus, vt aliquando solebat, re-

se-

sedisset ante fenestram cellę adapertam, non quidem corporis lumine, quo captus erat, sed mentis acie, qua maxime vigebat, cælum contemplatus dulcissimè expirauit, inuentusque à Monachis rubicundiori facie, & longè pulchriori, quam vnquam præ se ferre consueuisset.

Deus itaque sapientissimus, quí vno Ignatio erudiendo magisterium plurimorum fingere destinarat, eum direxit non alio, quam ad istos duos sanctissimos & doctissimos Ordinis Benedictini Patres, religiosa vitæ peritissimos. Exceptus humanissimè nouus Christi tyro, & prima rudimenta sacræ militiæ edoctus, à Clanone præsertim; eius fidei se totum commisit. Huius rei duos proferam testes, alterum ex Benedictinis; ex Iesuitis alterum. Primus sit Antonius Iepius, Chronicorum generalium Ordinis S. Benedicti, scriptor, ne quid aliud dicam, modestissimus, qui patrio sermone de Monasterio Mõtisserrati verba faciẽs, sic testatum reliquit. *Aqui aprendio en esta casa la vida espiridual, y cobro fuercas, en ella el bien auenturado Insigo de Loyola (obros le llaman Ignatio de Loyola) vnos de los mas auenturados hombres que ha producido Espana, Fundador de la religiosissima y doctissima orden de la Compania de Iesus: el qual se confesso generalmente en esto Conuento y aprendio los exercitios espirituales en el, que despues con tanta glor a suya y de su Religion, espartio y publico per todo el mundo.* Quæ latinè reddita ita sonant: *In hac domo apprehendit vitam spiritualẽ, & in eadem vires adeptus est B. Enneco de Loyola (quem alij vocant Ignatium de Loiola) vnus ex illustrioribus viris, quos vnquam genuit Hispania, Fundator religiosissimi & doctissimi ordinis Societatis Iesu; qui in eodem Monasterio generali confessione peccata sua oblut; ibique* *Anton. Iepius Chron. S. Ben. Cẽtur. 5. ad Ann. 888.*

didicit exercitia spiritualia; quæ postea magna sua, suaque religionis gloria, per totum orbem diffudit, & promulgauit. Ita Iæpius.

Nicol. Orlãdinus hist. Soc. Iesu li. 1. n. 17

Secundus, Nicolaus Orlandinus, historiarum Soc. Iesu scriptor elegantissimus, cuius verba sunt. *Ad Sanctum Montem profectus, religiose Deo ac Deiparæ salutaris, eo curam in primis adiecit, vt vitam exorsurus nouam, veterum ab exordio primo retexeret: quod cum per triduum sedulo peregisset, e scripto repetita ab memoria vltima noxarum confessione cunctarum, apud Cœnobij eius virum, virtute inclytum, Ioannem Clanonium nomine, natione Gallum; eidem pariter sua de vitæ incundæ ratione consilia ex ordine patefecit. Deducebat nimirum ius, tum suum Dominus per vias rectas; magisterium plurimorum vno erudiendo fingebat. Is scilicet Consilium illud geminum pietatis palæstram ineuntibus apprime necessarium menti eius iniecit, vt & generalem institueret confessionem, cuius ea tempestate vsus non perinde vt postea eiusmet opera introductus est, increbruerat: & cum viro bono atque prudenti, quicquid meditaretur, communicaret. His enim necesse est oriatur ab initijs disciplina virtutis, ædificium spirituale his statuatur fundamentis. Nam expiatio vitæ totius anteactæ in primo limine, ardoreque illo conuersionis, purgat magnopere animum, præparatque vberioribus e cœlo donis excipiendis, & omninò immensum quoddam refert ad perseuerantiam, ad progressum, ad omnia primordio semel contuendi, quantum cum Diuina ope fas est, vt animus in amicitiam Dei & statum gratiæ reponatur: Ductus autem periti Institutoris aduersus fallacias tenebrarum Patris, Angelum lucis ementientis, cum semper, tum inchoanti præsertim est necessarius, quo & rudior discipulus est, & error vel paruus initio, fit longè ma-*

maximus in progressu. Hæc Ignatius præcipua quadam Magistri summa doctrina non solum peragebat, sed etiam obseruabat, confitens in corde suo, & intentis vbique oculis per iustitiæ semitas incedens, ac notans singula, vt eodem tempore quos faciebat in discipulatu processus, eosdem haberet in Magisterio; vbi Clanonius consilia eius probauit, &c. Hæc ille.

Concinit quoque Ioannes Petrus Maffæus, ex eadem Societate verbis illis. *Quo simul atque peruenit, templum ingressus, ac Numine salutato, nihil antiquius habuit, quam ut per sacram totius anteactæ uitæ confessionem, contractas animi sordes elueret; qua confessione in primis fideliter atque accuratè descripto peracta per triduum; summa deinde cum veneratione ad Sacramentum Altaris accessit: Contulit etiam cum eodem Patre, qui sibi confitenti aures dederat, omnia sua consilia cogitationesque de imitatione Sanctorum, quæ ad eam usque diem prorsus nemini patefecerat.* Alacriter igitur, sedulo, impense in exercitio vitæ religiosæ informauit Ignatium, cuius pietatem eximiam toti aliquando Orbi præuidebat salutarem esse futuram. Inter cætera verò sacra rudimenta obtulit illi libellum aureum exercitiorum spiritualium, à Garcia Cisnerio Abbate eiusdem Monasterij Montisserrati, Santissimo ac doctissimo confectũ, editumque Hispanicè Anno Christi Millesimo Quingentesimo, prout in antiquissima eius impressione ipsi nos inspeximus: cuius verba, latinè reddita sunt: *Compilatus fuit, & impressus iste Tractatus in Monasterio B. Mariæ de Monteserrato Anno Domini Millesimo Quingentesimo XIII. Nouembr.* Eundem porro librum Hispanicæ scriptum, vt dicebamus, à Cisnerio Abbate, Latio donauit, ac iuris publici fecit eodem anno vir ille pijssimus, Ferdinandus à Turre-

Io. Petr. Maph. in Vit. S. Ign. li. 1. c. 4.

Post verbũ patefecerat *huc trãsfer* quæ *fac. 126. lin. 7. legũtur* concinũt itidẽ *vsque ad ea* cœlesti adscriptus est. *Inclusiuè.*

cremata

cremata, eiusdem Ciſnetij diſcipulus. Quare in eius calce nos ipſi hæc legimus verba. *Compilatus fuit tractatus iſte in Monaſterio B. Mariæ de Monteſerrato, Anno Domini MD. Idibus Nouembris.* Qui quidem exercitiorum libellus cum ſumme efficax ad Concitandos in amorem rerum Diuinarum animos exiſtat, Montiſſerratenſes Patres illo vti ſolebant in inſtruendis ijs, qui vel religioni, vel pœnitentiæ ſub ipſorum regimine ſe ſe nouiter debebant. Hęc latius probata dabimus inferius: Interim audi Ribadineiram fatentem: *Probabilem B. Ignatium tũ habuiſſe notitiam libri, ſeu exercitatorij Abbatis Garciæ Ciſnerij, dũ apud Montem ſerratum eſſet, tum in orando, & meditando multũ per eum profeciſſe: tum inſtructum fuiſſe à P. Ioanne Clanonio, & edoctum nonnulla ex eo libro, ſimiliter, quod nominauerit librum, quem poſtea compoſuit, Exercitia, ſpiritualia, ſumendo nomen ipſius à libro, vel exercitatorio F. F. Garciæ,* hæc Ribadineira in Epiſtola, quę extat apud Iepium tomo 4. Annalium Benedictinorum ad annum 888.

Ribadin. in Epiſt. quæ extat apud Ant. Iepium, anno 888.

S. Ignatius proficit ſub P. Clanone.

Nactus igitur Ignatius, tum in voce tum in ſcriptis tantorũ Patrum, piſſimæ ſuæ intentioni conformem maxime doctrinam; mirum dictu quantum profecerit, quantumque hauſerit cæleſtem diſciplinam: more tamen infantium, qui vbi primo depulſi ſunt ab vbere matris, non longe ſe patiuntur ſubmoueri, vt identidem eadem poſſint repetere: Simili inquam pacto Ignatius receſſuius à Monaſterio Montiſſerrati, locũ elegit vt ſecretiorem, ita viciniorem amato Monti; ſeceſsit enim in Syluam Monti ſerrato proximam (vt Nicolaus Orlandinus in ſuis literis ad me datis teſtatur) ibique penitentiam egit; de in Mareſam ſiue Minoreſſam, a Monteſſerrato 3. leucis dictantem conceſ-

Orlandin. lit.

ſit:

sit: exercebat ibi in hospitali & in antro, pœnitentiã acrem, seque præceptis libelli exercitiorum spiritualibus, quem secum detulerat, penitus conformabat: Verum insurgẽtibus scrupulis, & stimulis etiam deuotionis actus; atque vt Clanoni rationes redderet eorũ quæ in anima sua agebantur, repedabat sæpissime ad Serratum montem, ab eo cœlestia monita, suorumque remedium scrupulorum referens: Minoressam redijt, eamque plurium mensium spacio inhabitauit. Sic igitur sub Benedictinis, sanctioris iecit fundamenta vitæ, sic ab ipsis in vitam perfectiorem eruditus est; sic in virum sanctissimum eorum labore & industria creuit; vt quantum quantum illud est, quod discipulus magistro debeat (quod nunquam secundum Aristotelem rependi potest) tantum Benedictinæ religioni Ignatiana debet, si velit pro Parente suo spondere.

ap. me M.S.

Beneficia Ord. Benedictini erga Societate Iesu. Aristot.

S. Enneco, siue Ignatius in Montis Martyrum prope Parisios, & S. Pauli de Vrbe Monasterijs, Ordinis S.P. Benedicti, vota emittit. Cap. III.

TAm felici videlicet successu dulces gratiarum riuos, & flamina donorum Dei expertus fuerat in Benedictino serrati montis Cœnobio Ignatius: tantos ibidem egerat de deuicto hoste triumphos, vt non ad alia loca, aut studia, quam quæ Numine implebat Magnus Benedictus occidentalium Patriarcha suo, ipse iam futurus multorum Pater, diuertere voluerit. Egregio profecto documento & amoris & gratitudinis erga Benedictum, eiusque Religionem, quæ illi fuerat tam benefica parens; & imitatione Patriarchãrum aliarum Religionum, qui libentissimè apud

Be-

Benedictinos diuersati documenta insignia, & plurimam vtilitatem ab ijs in suos ordines deriuarunt. Sed de his alibi latius. Iam S. Ignatium inuisemus in Benedictinarum. Virginum Cœnobio, sito in monte Martyrum, primo ab vrbe Parisiensi lapide, ad aram Deiparentis vota cum Socijs nuncupantem. *Agebatur annus, (ait Petrus Ribadineira) virginei partus MDXXXIV. cum Ignatius & socij insigniti magistrali laurea, die Assumptioni B.M. Virginis sacro, ad ædem B. Mariæ, quæ mons Martirum vulgo dicitur, & ab vrbe Lutetia non procul abest, vna omnes conuenerunt: ibi ritè confessione facta, atque sacra synaxi percepta, voto se obstrinxerunt rebus omnibus excepto viatico, ad constitutum diem renunciandi, procurandæ proximorum salutis Hierosolymã nauigandi, &c:* Similia Nicolaus Orlandinus habet, sed qui, seu neglexit dicere, seu oblitus est, Ecclesiam illam à Benedictinæ familiæ Alumnis cultam. *Ab eo die (inquit) qui Assumptæ Deipare sacer erat, omnes eam sibi Patronum apud Deum præcipuã adoptarunt: & post Societatem conditam, eum diem quasi primum eius natalem singulari religione ac memoria coluerunt,* ita ille. Ergo Ignatius sicut in sacro monte religiosæ & perfectioris vitæ, ita in monte Martyrum societatis & religionis suæ fundamenta felicissima iactauit. Et in huius rei memoriam ante annos circiter triginta cum reparatus esset locus, & tribus auctus Capellis, in earum secunda appensa fuit ab ipsismet Iesuitis annuente Abbatissa, Imago, quæ S. Ignatiũ socioſque exhibet, manu tenentes chartam, rei gestæ, votorum scilicet nuncupationis seriem indigitantem. Visitur in medio tabulæ Sãctissima Virgo Deipara, huic Dionysius, Rusticus, & Eleutherius, socij Martyres, inde Beatissimus Patriarcha Benedictus cum Nutri-

Petrus Ribadiner. Vit. S. Ignatij, lib. 1. c. 4.

Nicol. Orland. hist. Soc. Iesu, lib. 1. n. 90. & 92.

tio

tio Romano, Mauroque Alumno: vt nempe constaret mundo, quos Paranymphos haberet Ignatius facti huius, quos Patronos, & vitæ, vięque, quam aggressurus erat, Duces, nempe post admirabilem Benedictum nostrum, Patriarchas binos, alterum fidei apud Gallos, alterum Religionis Monasticę. Ille associantibus Rustico & Eleutherio, Gallos Ecclesiæ peperit; hic per Romanum Maurumque Abbates, à se in Gallias missos, eandem nobilissimam partem & Religiosæ peperit disciplinæ, & ab hæresi & paganismo liberauit. Mons autem Martyrum vel Martyriorum siue is olim Martis, siue Mercurii fuisset, Monasterio Benedictino demum ornatus fuit, quod virorum primũ (vt testis est Iacobus dù Breui) à Theobaldo Priore S. Martini, de Cãpis Cõgregationis Cluniacensis, monialibus postea dicti Ordinis concessum fuit, anno 1133. Verũ fusiùs hęc Stephanus Binettus S.I. in vita S. Dionysii eiusdẽ, quã ipse Gallicano sermone scripsit, dedicuitque Abbatisse, & Monialibus eiusdẽ Monasterii.

Alci. du Breu. in Descrip. Vrb. Patris.

Agnosce igitur sancta societas primordia tua in Benedictinorum Asceteriis cæpisse; contigisse in iis natalem tuum: agnosce patris affectu tui erga eadem Asceteria, & eorundem Asceteriorum pietatem, quæ eum, suosque tam amico sinu complexa sunt: Venerare loca, in quibus tanta mysteria; & originem tuam, Patriarcha tuus opperari voluit.

Sed Orlandinus contendet Montem Martyrum vacuum, remotumque ab interuentoribus locum fuisse vt quis inde forsitan coniiciat, ad eum se Ignatiũ & socios contulisse, quo strepitum popularis auræ diffugerent. At illud frustra contendit, Nobilissimum enim illud Virginum nobilissimarum Cœnobium erat, custoditum & culţũ diligenter à Benedictinis, qui eisdẽ sanctimo-

Orland. vbi sup.

ſtimonialibus à ſacris erant miniſterij locus vno lapide Pariſijs diſtãs; quodque caput erat, dies ſacer Deiparæ, cui & ipſa ędes ſacra fuit: & propterea ſolenniſſimus dies plurimos ad tantam in ea Eccleſia ſolennitatem attraxiſſe credendus; vt ſi vacuum Ignatius locum, ſi ab interuentoribus remotum quæſiuiſſet, felicius illum, certiuſque eo die, ea ſolennitate in permultis Eccleſijs intra ipſius Vrbis Pariſienſis mœnia, quam in Sacra Montis Martyrum æde reperiſſet. Inter cauſas igitur illius ad eum montem ſeceſſus, ex præcipuis exiſtima, fuiſſe perpetuum illum & ſingularem amorẽ ad ea Sacra loca, quæ Benedictinum inſtitutũ nobilitabant, a quo in ſuperioribus præclariſſima receperat, beneficia, & deſiderium ſanctum; vt opus apud Benedictinos inceptum, felici omine, optato conſummaret exitu: ac proinde cum iam poſt duos annos ad Societatem alij ſocij acceſſiſſent, omnes ſimul ijſdem ipſis, ſolemnitate, ceremonia & loco, vota ſua ſeu emiſerunt, ſeu renouarunt: nec enim pius amor, gratus animus, experientia felix, ad alios eum accedere permittebant, ſed ad maiora propero.

Ignatius in Monaſterio S. Pauli emiſit vota.

Perfectis ab Ignatio ſuæ ſocietatis legibus, ipſoque in Præpoſitum generalem electo, ſolennis vororum nuncupatio conſecuta eſt. At vbinam gentium tanta peracta ſolennitas? Fatebantur omnes, Romæ in Baſilica S. Pauli quæ etiam Monachorum Benedictinorum fuit; eos cultores eos incolas habuit; quod Orlandinus & Ribadineira ſilendum putauere. At cur non alibi? reſpondebit omnium nomine Orlandinus. Quoniã eius maxime Apoſtoli ſequi veſtigia propoſitũ erat: tũ etiam quod locus ille, quippe extra muros, à populari ſtrepitu vacuus eſt. At ſiſte parũ Orlandine, vt examinemus: an non hæc vltima cauſa de ſolitudi-

Orlandin. lib. 3 nu. 11.

ne

ne loci quam leuissima, vtinam non falsa sit. Nam Basilica S. Pauli, præsertim intra octauam Paschatis, qua emissa est ab Ignatio & socijs solennis ista professio, ita vacua est, vt autumaris, cum nemo ignoret per totam illam octauam, populum sæpe vrbis Ecclesias, in quibus Basilica S. Pauli vna, frequentissimum inuisere: imò & Ignatium, socioſque exhibes religiosæ consuetudini insistentē, & recepto more, eodem die easdē septē vrbis Ecclesias vna cū socijs obeuntem. Si vero Ignatius ad Ecclesiam ad eas fontes sitam, vbi Beatissimus Apostolus, Martyr occubuit, non ita procul distantem à priori Ecclesia: si alias aliquas in agro Romano sitas; ad rem, aliquid, tu forsitan & Ribadineira tuus, qui vna tecum sentit, dixissetis. At solitudinem in S. Pauli Basilica, eo tempore & sollenitate comminisci, commentum plane est. *Non ob loci solitudinem.*

Adde, multum augere confluxum populi ad Ecclesiam Doctoris gentium, Sacrosancta Crucifixi imago, quæ olim S. Brigittæ locuta, in iis Paschatis feriis ostenditur publicè, & adoranda proponitur numerosissimo aduentanti populo; vt etiamsi sequēs Vrbis Ecclesiarum Visitatio, multitudinem non attraxisset, ad eam Basilicam, tam miraculosæ imaginis attraxisset deuotio.

Accipe & illud. Iam notissimus vrbi Ignatius erat; iam vberes fructus viderat laboris sui; plurimos in sui tum admirationem, tum amorem traxerat, cum solennia hæc vota emittere decreuisset. Porrò res agenda erat Pontificis arbitrio, illius auctoritate corroboranda: & sicuti non multos ante annos Pontificio Breui electus fuit Commissarius Episcopus Casertanus, qui vota Theatinorum Clericorum Regularium in Basilica Principis Apostolorum auctoritate

Apo-

Apostolica susciperet; ita pariter in Ignatij & sociorũ professione opinandum: electum videlicet aliquem, qui vicaria Pontificis auctoritate, ea vota susciperet, rataque esse iuberet. Quis autem fuerit, si coniecturis locus sit, cum nomen eius, imo quia nomen eius nequaquam literis prodiderunt Societatis scriptores, facile crediderim fuisse Dominũ Laurentium a Mantua, virum prudentissimum qui eo tempore Cœnobiarcha præerat illi Basilicæ. Neque enim facilè opinandum est, discretissimum Pontificem in Ecclesia Benedictina, insigni, nobili, exempta, ab alio, quam ab eius Abbate, eoque magni nominis Prælato, actum iurisdictionalem, ac solennem exerceri iussisse.

At enim verò, cum, tam multus in ore omnium esset Ignatius, & vniuersę cognitus vrbi, cum deputatũ à Pontifice Commissarium oportuerit interuenisse, cũ aliquot ante feriam sextam diebus locus condictus esset, vt ijdem ipsi authores Ribadineira & Orlandinus fatentur; quis credet tantum & tam sanctum negotium potuisse secretò teneri, & non toti vrbi innotuisse? quis itidem negabit, plurimos, vt in eiusmodi negotijs accidere solet, partim amore & veneratione, deuotione partim; partim curiositate eo confluxisse.

Demus igitur locum natura sua secretissimum fuisse; demus venerandam, sanctam, septem Ecclesiarum deuotionem per octauam Paschæ, vt diximus; vsitatam; demus Sanctissimi Crucifixi deuotionem neminem attraxisse; abunde sane argumenti, ea ipsa Ignatij & sociorum professio solennis fuit (vt quis facile sibi persuadebit) ad nobilium vulgique plurimos eo pertrahendos. Vt prorsus hæreat commentum illud: Ideo Ignatium & socios, in Basilica S. Pauli emisisse solennem professionem; quod locus ille vacuus, &

ab interuentoribus remotus fuerit.

Alteram verò causa de imitatione S. Pauli, quamuis non adeo multum, titubat tamen. Nam Ignatio, non tum primo cum Paulus III. Societatem confirmasset, sed & adhuc dum Parisijs moraretur, statutum fuit, totum se aliorum saluti dedicare: quod Orlandinus, vt auguror, interpretatur, Apostoli vestigia imitari. Ergo si ideo ad S. Paulum profectus est emittendorum votorum causa, quod testatum cupijsset reddere, se Apostoli exemplo velle insistere; debuit profectò, & Parisijs ad eiusdem Doctoris gentium Ecclesiam, in votorum emissione secedere: aut si ibi illud non fecerit, nec hic necessario illud dicetur sequi; sed alia ratio istius ad S. Paulum profectionis assignanda venit.

Deinde cum totum se composuisset Ignatius, suique socij ad voluntatem nutumque Pontificis eumque quarto essent & se astricturi voto, de obedientia præstanda illi, & ad illius arbitrium disseminaturi Euangelium Christi, per varia climata mundi: nescio an non conuenientius fuerit in Principis Apostolorum, primi Vicarij Christi, Summi Pontificis & fidei, depositique Apostolici custodis, Basilica, solennitatem eam votorum celebrare: conuenientius, inquam; nec enim tam se imitatorem Pauli Ignatius, quam mancipium Patri, eiusque successoris eo actu glorioſe profitebatur. Ac proinde potiorem & aptiorem scenam Petri, quam Pauli Basilica heroico huic facinori exhibitura erat.

Igitur cum Ignatius nobiliores cælestis gratiæ igniculos senserit, fouerit, & feruentissimè nutrierit in Serrati Montis Cænobio: cum feliciter excitauerit gratiam illam, quę in se erat, & primis se obstrinxerit vo-

nis acceperat. Hæc, inquam, constantem pietatem Ignatij in Benedictinam Religione reddiderant, vt in alternum gratitudinis monumentum, in Benedictinis Sacrarijs solennes Societatis suæ actus faceret; seque suosque in ijs pulcherrimum Deo holocaustum afferret.

Hoc autem (vt memoria ad posteros perenni transmitteretur) sequentem Inscriptionem, vt in eadem Pariarchali S. Pauli Basilica appenderetur, (nescio certè qua negligentia lapidi tunc marmorea non fuerit incisa) vir doctus eius Monasterij cœnobita in S. Ignatium affecta optimo confecit.

Memoriæ Sacrum.

Sanctus Ignatius de Loyola,
Quem Benedictina Religio in Sanctioris vitæ Incunabulis
Lactauit in Monte ferrato:
Pietate adultiori prima nuncupantem vota Religiosæ vitæ
In Monte Martyrum suscepit:
Suæ Societatis condentem leges
Albanetano Casini montis secessu instruxit:
Triplici monte triplicem formans, fouensque hominem,
Pium, Religiosum, Patriarcham:
Ad hanc Beatissimæ Dei-parentis Aram
Cum primis tanti Operis, & Ausi socijs
Sui Ordinis solemnia vota Primus sacrauit:
Et Societati Domini Iesu nomen, & auspicia dedit,
Anno Incarnati Dei MDXXXXI. xiii. Kalend. Maij:
Sedente ad Catholicæ clauum Ecclesiæ
Paulo III. Pont. Max.
Et sacri huius Cœnobij S. Pauli de Vrbe Abbate
Domno Laurentio Mantuano.
(Scilicet Beneficiorum à Benedictino Ordine acceptorum memor.
Alibi nec voluit, nec valuit gratiùs feliciùsue;)
Viro Sanctissimo, & in Benedictinã Religionem animo gratissimo
Casinenses Benedictini Monachi.
Sacrosanctæ Patriarchalis Basilicæ S. Pauli de Vrbe,
Ne tanti facinoris hic peracti memoria periret,
Gratissimi posuere.

Ignatius ad Casinum montem secedit, ibique à Benedictinis Monachis in scribendis suæ Societatis legibus adiuuatur. Cap. IV.

APlenitudine eius nos omnes accepimus; de Christo illud Apostolus habet. Nos Benedictinæ Regulæ & Religioni, suo gradu existimamus posse applicari; & non immeritò; cum ex ijs pulcherrime Religiones cæteræ, in viridaria sua transtulerint semina: ac propterea tam frequens, tam solennis omnium ad eum concursus fuit. Et de Ignatio quidem, nedum propriam suam perfectionem, sed communem Societatis suæ institutionem à Benedictinis Patribus, legibusque ediscente, sic se res habuit. Desperato, afflictim expetito a S. Ignatio Hierosolymitano itinere, restabat, vt alterum, quod ei in votis erat, exequeretur, seque, suosque Pontifici addiceret ad animarum lucra quærenda. Romam igitur venerat, & non plebi modo, sed & optimis quibusque, ipsique Summo & Sanctissimo Pontifici Institutum suum probauerat; cumque (siue illud olim accepisset Diuina reuelatione siue edocente B. Gaietano Thienço dum Venetijs esset, siue Romano itinere, quo multa Diuinitus cognouit, vt Orlandinus habet) præscius esset stabiliendæ in proximis Societatis, de ea, legibus munienda cogitauit. Quid hic ille? *profectò cum Ethica, quam Politicamagis expertus esset, sciretque alia boni viri, boni Imperatoris alias esse virtutes, ad solitum asylum confugit; ad montem & perfectissimum quidem illum Benedictinæ perfectionis, montem videlicet Casinum, profectus est.* Et itineris quidem huius meminere scriptores Societatis, etsi non eo fine quo nos contendimus, suscepti. Orlandinus ait Cupisse Ortizium quendam, virum

Ioan.

Vide supra in præfatione.

Orland lib. 2. n 29.

Orland. lib. 2. c. 35. grauem, & eruditum exercitiis spiritualibus expoliri; annuisse Ignatium, *ne tamen aut Cæsareæ procurationis manus, aut amicorũ salutationes obstreperent, perexiguo famulorum numero in Casinatem montem, secessum olim S. Benedicti, ac magnifico hodieque Cœnobio, & insignem pietate Monachorum familia nobilem secedit; ibi Magistro Ignatio, continenter ei contemplationi ad dies quadraginta operam dat; & pio studio par exitus fuit.* Et Ribadineira: *Vt liberior esset, magisque ab interpellationibus. Vacuus, scilicet Ortizius, Roma in montem Casinatem, locum in primis D. Benedicti vita, & sepultura nobilitatum, & ipsa loci religione ac solitudine ad Diuinam contemplationem maximè appositum aliquantisper secedendum sibi, existimauit, ibi per quarta dies ab Ignatio eruditus est.* Hæc illi. Sed audiamus alios, antequam de summa rerum pronunciemus.

Ribadin. li. 2. c. 12.

Arnoldus Vvion, scriptor grauis, hæc habet de eâ profectione. *Quâ in re, vt & alijs Sapientiam Sanctissimi Legislatoris Benedicti magnopere admirari est; & eam hoc nomine susspexerunt, quicumque in literis maxime pollùerunt. Itaque & apud quosuis veterum Sanctorum & scriptorum laudata passim eius instituta, & sententia instar legum vndique in eorum scriptis & ordinationibus interlucent, vt videre est apud diuersorum ordinum & Rerum publicarum Fundatores & Constitutores; qui omnes ex hisce fidelis parietes suos dealbarunt. Atque vt antiquiores omittam; si nostri saculi exemplum quis exspectat, nonne Ignatius Loiola, Patrum S. I. Institutor, in Hispania nobilibus parentibus editus, postquam saculari militia relicta atque mundi curis abdicatis; in Dei militiam se tradidisset, atque ad salutem animarum promouendam totum se contulisset, suos quos condere volebat, ita ex huius Regulæ institutis informauit, (casinæ*

Arnold. Vvion, lib. vitæ. lib. 1. c. 1.

enim

enim positus, montem illum contemplationis aliquot mensibus habitauit, ibique velut alter Moyses & legislator, secundas religiosarum legum tabulas, primis non absimiles composuit) vt breuissimo temporis interuallo multiplicatus, factum inde fuerit, vt eius instituti doctrina & pietate clarissimi viri, totum iam fere orbem collustrarint. Et R. admodum P. Dominicus Grauina, Ord. Prædicatorum S. Theologiæ Magister, Ignatianam Societatem alloquens, illud ipsum totidem verbis confirmat. *Domin. Grauina in li. vox tur.*

Soror nostra es, O Sancta Societas crescas in millia, arctissimo vinculo charitatis nobiscum es colligata, vt solus habitas distinguat, quos idem finis & propositum indiuisos facit; recole quod S. Ignatius de Loyola, tuus Fundator & princeps, postquam (fæculari militia relicta, atque mundi pompis abdicatis) in Dei militem se tradidisset, atque ad salutem animarū promouendam totum, se contulisset, suos quos condere volebat Canones, ex regula monachorum protho patentis Benedicti tanquam flores decerpsit, eiusdemque S. Benedicti instituti suos informauit: Casini enim degens, montem illum contemplationis aliquot mensibus inhabitauit, ibique velut alter Moyses & legislator, secundas religiosarum legum tabulas fabricauit, primis non absimiles. *p. 2. c. 32.*

Et Dominus Honoratus de Medicis Neapolitanus in Annalibus Casinēsibus inquit: *Albaneta prope montem Casinum B. Ignatius P. Salmeron, cum alijs Socijs, composuerunt Regulam Iesuitarū, Benedictinam sibi Regulam veluti subsidiarium adhibentes; fecerunt quē multas Constitutiones.* Præfatus Dominus Honoratus Monachum induit in sacro monte ad reparatę salutis annum quingentesimum septuagesimum supra millesi- *D. Honoratus de Medici Neapol. in Annal. Casinen. par. 3. prope*

apud Casinum degens, Scholasticæ Sororis, & Germani Capuæ Antistitis animas ad superos euolantes, clarissima in luce conspexerat, hæc illa: & quidē quod præcipuum est, firmissimumque ad hanc veritatem astruendam & conuincendam, perpetua traditione apud Casinates inniſi; quam ipſi quo loco res gesta fuit, appensa tabula, rei gestę continente seriem ad posteros transmittere, factu optimum cogitarunt. Est autem Albanera, locus Casino proximus, insignis olim, S. Lintij, Monachi Casinatis, mora: hic enim non vulgari sanctitate vir monasterium ibidem posuerat, illudque inhabitauerat, magna sui nominis fama & sanctitatis opinione: omnia autem miscente bello per Regnum Neapolitanum, dictum Albanera Monasterium, euersum concidit, suisque sepultum ruinis permansit, quousque Casinensi Abbatia reflorescente denuo sub Monachorum regimine; & ipsum eruderibus caput extulit. Nam vir ille doctissimus, equè ac religiosissimus Ignatius Squarcialupus, Leonis X. Pont. Max. consobrinus, Casinas Abbas extructa ibidem capella, altare posuit purificanti Virgini, ibidemque felici omine S. Ignatium Martyrem veluti in proximo venturi hospitis præsagium, Sanctāque Scholasticam hinc & inde patientem Christum depinxit. Igitur S. Ignatius Casinum deueniens, Albanetam secessit & vicino Capellę cubiculo, legibus suis elucubrandis operam dedit. Monachi Casinates tam singulari erga Ignatium deuotione, tam ne memoria rei memoratu dignissimæ periret, cubiculum iam prius tantarum meditatione legum percelebre, in Sacellum conuersum, hospiti illud olim suo, iam cæli indigeti consecrarunt, altari eidem, erecto, in quo rem Diuinam quotannis solennissime faciunt in S. Ignatij honorem, appositā hac Epi-

gra-

graphe, qua postetis historiam verissimam attestetur. De S. Ignatio Loiola Societatis Iesu Regulas apud Albanetam condente: sequitur narratio fusior, quam apud Marcum Antonium scriptionem videre est; e quo hæc proxime relata breuitati consulens desumpsimus.

Volunt itaque Auctores illi, in Casinum montem profectum Ignatium in eo sacro loco, quas leges suæ Societati laturus erat præmeditatum fuisse, & digessisse quadantenus, vt scilicet feliciter aspirante Fauonio Diuini Numinis in magno illo negotio ductor & Doctor, sacrum esset flamen; magnus Benedictus tutelare Numen; adiutores monachi; exemplar, si non vnicum, saltem præcipuum, Benedictina regula: Nec absimile illud; facile enim crediderim præcibus Benedictum suis obtinuisse, vt in eo loco, quem viuus sanctissima sua conuersatione, mortuus glorioſissimis miraculis decorauerat, e semine suo deesset nunquam, qui alijs doctrina & exemplo præiret: florebat enim si alibi vspiam, in sacro eo monte, cum eo Ignatius aduenit, homines magni virtute, & prudentia sua præditi, diuites virtute, pulchritudinis studium habẽtes, pacificantes in domibus suis qui in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, e diebus suis habebantur in laudibus. Inter alios doctrina & pietatis laude, excellebant Angelus Ricca Castro Sanguinus in Samnio, Massina oriundus, vir prudentia & religione non monachis solum, verum & populis & Principibus, quin & Summi Pontificibus charus & venerabilis, qui plures libros conscripsit, & diuersa postmodum in Congregatione Cassinensi Cœnobia persancte gubernauit, & totius Congregationis Præsidens fuit. Benedictus Canophilus etiam Castro Sangrinus, ob virtutem pariter & singularem qua eximie præditus erat, pruden-

Patres Casinẽses celebres, tẽpore Ignatij

dentiam Iuris, illi sæculo, Romanisque Pontificibus notissimus. Et Gregorius de Pisonibus, Viterbiensis, Iure consultus, S. Theologiæ professor & Commentator, ac probatissimæ in administrationibus plurimis prudentiæ & pietatis. Hi omnes eximij viri (sicut eorum vnus, Angelus nempe Sangrinus postea mihi iuuani, quin & alijs plurimis, senex ipse nonagenarius, in Casinensi Cænobio sæpe sępius narrabar) ex præscipto Abbatis sui, Anno salutis MDXXXVIII. curam instituendi & adiuuandi in condendis legibus Ignatium perplexum adhuc in statuenda perfectiori aliqua vitæ socialis formula, libentissime susceperant, ac duos fere menses in hac laudabili prorsus opera cõsumpserunt apud S. Mariã de Albaneta, locum remotum, & tanto habilem negotio, ab ipso Cassinensi Cænobio centenos aliquot passus distantem. Et sicut Ioannes Clanonius Montisserratẽsis Monachus Ignatio ad priuatæ perfectionem vitæ: sic illi tres ad socialem, communemque eruditerunt.

Auctoris testimonium auriculare, de instituto Ignatio

Grauissima solet esse & abundans ad faciendam fidem oculati testis assertio, præsertim si testimonium eius eximia vitæ probitas, moramque grauitas, commendent. Sic enim vel ipsemet Ribadineira, Orlandinus, & nouissime Bidermanus in S. Ignatij vita, satisfactum putarunt historiæ veritati, cum fide digna aliorum narratione res plurimas descriptas corroborassent. Non video igitur, qui non statui possit, non minimam causam secessus Ignatij ad Cassinum montẽ fuisse, vt à Casinatibus Monachis, in suis scribendis legibus adiuuaretur, cũ præter laudata superius, Vvioni, Grauinæ, scipionis testimonia, & Casini mentis perennem certamque traditionem, auctorem habeamus id asserentem, virum grauissimum & Sanctissimum,

mum, qui oculatus testis non adfuit modo illi negotio, sed & eius pars magna fuit, qui (ita me amet Veritas) hanc mihi aliisque historiam persæpe narrauit.

Quod hanc, quã atteximus causam fileant, aliamque prætendant, erudiendi videlicet Ortiziũ exercitijs spiritualibus, Enneconiani scriptoribus, parum debet Lectori negotiũ facere. Nã quod ad primum attinet, querelæ id meæ argumentum dedit, quod cũ multa, & magna sint, quæ debeant Benedictinæ Religioni Iesuitæ, ea tamen diffimulent passim, ne beneficio aliquo affecti esse videantur. Ex multis in hoc commentario constabit plurima fuisse, quæ à Benedictinis ipsemet Ignatius receperit, cum rarissime id rependant gratiæ scriptores vitæ illius, vt eos fontes indigitent, è quibus tot gratiarum hauserit riuos.

Ignatius potuit simul instruere, & instrui.

Studium autem instruendi Ortizium, potuit quidem illum Casinum deducere; ardens enim Ignatii charitas erat, & quæ pro vnius animulæ profectu maius aliquid fuisset aggressa: Vide tamen quæ te obseruare velim: nam esto iuerit Ignatius Ortizij gratia, fecesserit illius docendi causa, quid ni potuerit etiam statutis horis, cum prædictis Monachis tractare? optime enim hæc duo se compatiuntur: non enim spiritualis Magister continuo ad latus ascetæ adhæret, non inclamat plagosi instar Magistri, non inculcat: reliquo igitur tempore, quo vacabat à docendo Ortizio, addiscere à Monachis, aut consulere poterat eos, de suarum latione legum; aut è contra desiderium consulendi Monachos Ignatium extraxit Roma, Casinumque deduxit; & optima ea opportunitas adiunxit Ortizium comitem, quo facilius in eo sacro secessu negotium animæ tractare posset cum Ignatio, cessante illo subinde in Ortizij gratiam à scriptione suorum statutorum; & facilius adducor, vt hoc

posterius

posterius credam, Ortizium scilicet se comitem adiunxisse Ignatio proficiscendi Casinum, quo frui posset, & Monachorum consilio, & intercessione vniuersalis Legislatoris magni Benedicti. Nam per ea tempora, quibus propter recentem in Vrbem aduentum, propter æmulorum oppositiones, propter magnam messem in ipsa vrbe, requirebatur summopere præsentia Fundatoris Romæ; grauissimam fuisse causam secessus Ignatii, nemo non videt: ergo ne credemus voluisse eum, duobus ferme mensibus, idque biduano itinere abfuisse Roma, vt vni homini vacaret? an necesse erat, vt apud eum 40 dies hæreret? pene fidem excedit: nec enim necesse erat, tantum aut itineris confeciſse, aut temporis impediſe, quo seu liber & remotus locus inueniretur, seu instrueretur Ortizius. Profecto circum circa Romam non desunt secretissima loca, non venerandæ antiquitatis monumenta, sanctissima inquam martyriorum loca, Martyrũque vestigia, quę factũ incutiant horrorem pietatem excitent, deuotionem accendant, inuitent animum ad sanctiora consilia: non deest solitudo, Diuinæ ascensionis mater, vt necesse non fuerit Casinum pergere ad locum vacuum inueniendum, & minus quadraginta diebus exercitia dari solent; præsertim tali viro, qualis Ortizius erat, qui negotia Cæsaris procurabat in Vrbe eo tempore, cum graues in orbe motus, metusque Turcę Cæsarem ipsum, & consequenter eum, qui negotia eius in vrbe curabat sollicitum habebant. Quomodo igitur credam, integram fuisse causam, immò vel pręcipuam profectionis huius Ignatii, vt Ortizium doceret, & non potius, vt pro more suo in suarum scriptione legum, ad Benedictinos diuerteret, eos consuleret, eorum vteretur opera, ad quos tanto suo fructu toties diuerterat antea; & vt eos quos fau-

Ignatius ob solum instruendum Ortizium, Casinũ petit.

tores

tores semper inuenerat instituti sui, iam consultores & adiutores haberet in suis condendis legibus, etsi pariter existimem vnum Ortizium occasione ea, quo in sacro illo monte Casino montem castissimæ perfectionis conscenderet. Et certe etiamsi non scriptis & voce, factis tamen Iesuitæ in sententiam nostrã eunt, dum magnæ pietati ducunt inuisere, & inuisunt quotannis sæpissimæ (testis ocularis loquor, vt pote qui illos eo peregrinantes, dum hospitibus suscipiendis præponeret, frequentissime excepi) non solum Monasterium Casinense, sed & ipsum locũ S. Mariæ de Albeneta, in quo Constitutiones suas meditabatur Ignatius 40. dierum spatio (exemplo tum Moysis, tum ipsius Patriarchę nostri, qui 40. dies eum montem conscensurus ieiunauit) ibidem in cella latitans, venerandas adhunc huius facti reliquias ostendente.

Iesuitæ factis eunt in hanc sententiam

Propositum autem Ignatio & monachis illis fuisse Benedictinam Regulam & Instituta, e quibus pulcherrimos fontes inclyti illi tres supranominati Benedictini Patres aperuerunt Ignatio, nec adeo alienum videtur, vt non facile persuasu sit: oculis enim mox subijciemus loca quam plurima plura tum daturi cum à nobis id exigetur, quæ e Benedictina in suam S. Ignatius transtulit Regulam; tum Casinensium testimonium confirmat.

Porro Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, nõ doctrina magis, quam vitæ morumque candore clarus, cum alloqueretur aliquando Domnum Petrum à S. Cruce Priorem Romani Monasterij S. Bernardi, fassus est, se à Præposito suo Generali, iussum adesse religiosis quibusdam Comitiis Societatis suæ in Gallia celebratis, detulisse secum Regulam S. Benedicti, illiusque auctoritate sententiam suam in pluribus difficul-

ficultatibus corroborasse; quin & deinceps in reliqua vita tum interna spiritus alimenta, tum externa documenta boni regiminis ex eodem Benedictino fonte hausisse. Et hoc idem, vt alios taceam, Theophilus Raynaudus, ex eadem Societate, sub nomine Fratris Stephani Emonesij testatur. Nam in Præfatione sui libri, cui titulus Splēdor veritatis moralis, (in cuius tamen frontispicio veritatem læsit mortaliter, voluitque splendescere mendacio,) dum falso se & ementito nomine Simonem Emonerium, Commissarium Ordinis S. Francisci apud Salasios, pro Theophylo Raynaudo appellat, & Sancti Francisci sine veritatem dicam an Iesuitam suffogato. In ea inquam Præfatione ad hunc modum S. Patrem Benedictum alloquitur: *S. Ignatij soboles domi primum tuæ, in monte Martyrum Lutetiæ concepta, postmodum vero instituti idea absolutissima parenti exorata felici enixu in Casineasi tuo ascenterio veluti edita fuit, quam tum & Sanctissimam & Ecclesiæ fructuosissimam prospiciens, sacro sinu excepisti atque fouisti.* Fatetur enim Societatem suam vt inceptam in monte Martyrum sic in monte Casino absolutam: & rationem reddit, quod ibidem S. Benedictus, instituti ideam cōsummatissimam, leges scilicet & constitutiones exorasset Ignatio, vt etiamsi prius iam in vnum coaluissent & socij, non tamen prius essent respublica, nō Societas; quā pro ea republica leges, pro ea Societate Constitutiones latæ fuissent; quæ cū in Casinensi monasterio conceptæ fuissent, tum demum absoluta & perfecta esset Societas, & felici enixi edita mundo.

Theophilus Raynaudus S.I. in l. dictum splendor veritatis, editus sub nomine F. Stephani Emonerij Commissarij ordinis S. Francisci apud Salasios.

Demum si quis diligens scrutator accedat, plurima, eaque momenti plurimi e Benedictina in Ignatianam translata regulam fuisse aduertet; nos aliqua mox tangemus.

S. Igna-

S. Ignatius, plura e Benedictina Regula, in suas Constitutiones transtulit. Cap. V.

CVm se res habeant ad eum modum, quemadmodum in superioribus docuimus; nec progenitus modo fuerit Ignatius ad spiritualem vitam, fotus & enutritus à Benedictinis, sæpissime diuerterit ad illos; sed & leges suas ab iis adiutus, apud eos fuerit meditatus; non adeo mirum dictu videbitur plura illam, eaque optima à Benedictinis statuta mutuatum: Plura inquam non omnia; cum enim alia Benedicto, Ignatio alia fuerit respublica instituenda, vnam ille familiam, domumue, Monasterium scilicet: hic plura sub vno capite Collegia; angustiorem ille; ampliorem hic formam faciemque Reipublicæ erudierit: vni hic familiæ; plurimis vnitis ille, dederit leges. Tam insolens mirumque fuisset, omnia à Benedicto Ignatiũ transcripsisse; quam plurima seu e Regula siue Constitutionibus desumpsisse certissimum. Hic pauca dabimus, alibi forsitan in libello de præsentia Benedictinæ Regulæ plura daturi.

Ignatius non omnia hausit e Regula S. Benedicti eiusque ratio.

S. Bened. Reg. c. 1.

Sanctus igitur Benedictus à generibus Monachorum Regulam suam auspicatur: *Monachorum inquit quatuor genera esse manifestum est:* pedemque pede S. Ignatius premens, in ipso Constitutionum limine: *Personarum inquit quæ admittuntur in hanc Societatem generaliter sumptam, quatuor sunt classes.* S. Ignatius ascribendum albo suorum interrogari vult, genus, ætatem, qualitatem, doctrinam, & alia id genus: & Casinenses de vita, natalibus, moribus & literatura, aliisque qualitatibus admittendi tyronis, antequam suscipiatur inquirunt. S. Ignatius interrogari vult candidatum suum, an omnino obedientem se exhibere in omnibus quæ hic (Constitutionibus videlicet) dicta & declarata sunt velit:

S. Ignat. examine generali c. 1. §. 7. Exam. 2. & 3. Constit. Cassin. in c. 58. regulæ. Ignatius

lit: sueque Benedictus nouitio (quem vocant) insonari præscribit; *ecce lex* (Regulam nempe) *sub qua militare vis, si potes obseruare, ingredere, si vero non potes, liber discede*. S. Benedictus præscribit, *res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solenniter donatione conferat monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus*: Pari tenore S. Ignatius; *quicunque Societatem ingredi volent, debent omnia bona temporalia quæ habuerint, distribuere & renunciare, ac disponere, quæ ipsis iure obuenire possunt*. Tyrocinium ingresso, Benedictus post duorum, post sex, post quatuor demum menses, Regulam edicit relegi: Sanctusque Ignatius *hoc medio* (inquit) *tempore duorum annorum, tyrocinij videlicet, videre vnusquisque, & considerare debet diplomata Apostolica Instituti Societatis, & Constitutiones ac Regulas, quas in ea est obseruaturus, idque non semel. Prædicentur ei, nouitio* (scilicet, ex Benedictina norma) *omnia dura & aspera per quæ itur ad Deum*. Et S. Ignatius; *interrogetur, scilicet nouitius, an decreuerit paratusque sit huiusmodi iniurias, illusiones, & opprobria in Christi insignibus inclusa, & alia, quæuis, quæ ei inferentur, & admittere & patienter cum Dei gratia ferre*. Demum ne per singula eam, vide & perpende quæ S. Benedictus in Reg. c. 58. & cum eo declarationes Cassinenses habent, de disciplina suscipiendorum Fratrum. Et S. Ignatius Constitutionum parte 1. c. 4. Constituit enim Patriarcha vterque tyronem nedum probandum diu, verum etiam, vt valde notus sit, antequam ad probationem admittatur, vt hospitum more, diebus aliquot diuersetur: *Sit inquit S. Benedictus, in cella hospitum paucis diebus*, & S. Ignatius; *Hospitum more 12. dies, vel vsque ad 20. & amplius, prout superiori videbitur diuersetur. Postea (inquit S. Benedictus) sit in*

exam. gener. c. 4. §. 33.

S. Ignat. c. 4. §. 10. c. 58.

S. Ignat. exam. c. 10. §. 13.

S. Ben. c. 58.

S. Ignat. exam. c. 4. §. 45.

S. Ben. c. 58.

S. Ignat. cella nouitiorum. Et S. Ignatius. *Postquam in Domino*
constit. p. *statuetur, quod ad probationem aliquem mitti conueniat,*
1. c. 4. *& in prædicta probationis domo seu in loco ad id destina-*
S. Ben. *to, vt hospes constituetur. Et senior ei talis deputetur* (in-
ibid. quit occidētalium Patriarcha) *qui aptus sit ad lucran-*
S. Ignat. *das animas; & super eum omnino curiose intendat & sol-*
ibid. *licitus sit.* Et S. Enneco: *Habeat Superior in ijs qui assi-*
S. Ben. *due apud se agunt aliquem cuius opera vtatur ad cogno-*
vbi sup. *scendum eos qui ingrediuntur ad agendum, cum illis, eos-*
S. Ignat. *que examinandum, qui quidem prudentia præditus sit, &*
par. 1. c. *non ignoret agendi modum: qui cum tam variis generibus*
1. *& conditionibus personarum est tenendus:* Et alibi, *peru-*
tile erit esse domi aliquem virum fidelem, & in rebus spi-
ritualibus sufficienter versatum, qui instruat eos ac do-
ceat, quomodo interius ac exterius sese habere debeant,
&c. & hæc hactenus de tyronibus.

S. Ignat. Admissum quomodo vterque doceat inspiciamus.
p. 3. c. 1. Quæ vota vouerit Domino implere, ijsque splende-
§. 23. re virtutibus, quæ suæ vocationis sunt, & Sanctus qui-
S. Ben. dem Ignatius, quod ad obedientiam spectat cupit vt
c. 5. Superiorem tanquam Christum Dominum intueantur: Et S. Benedictus docet obedientiam quæ maioribus præbetur, Deo exhiberi; ipse enim dixit. Qui vos audit me audit. Et ibidē; *mox vt aliquid imperatum fuerit à maiore, ac si Diuinitus imperetur, morā pati nesciunt*
S. Ignat. *faciendo.* Vult S. Ignatius, vt hæc obedientia exhibea-
vbi sup. tur integre, prompte, fortiter, & cum humilitate, sine
S. Ben. excusationibus, & obmurmurationibus: Et illius pro-
c. 5. totypon Benedictus, has obediētiæ adiungit comites, vt, quod iubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure, vel cum responso nolentis efficiatur. At quid si difficilia sint & sensualitati repugnantia quæ præcipiuntur? Summos obedientiæ apices

Igna-

Ignatius penetrans edicit, vt nitantur resignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis & iudicij habere velle, ac sentire suum cum eo quod Superior vult & sentit in omnibus rebus (vbi peccatum nó cerneretur) omnino conformantes, &c. Et, sequenti capite, cùm aduerterint aliquid sibi nocere, vel quid aliud necessarium esse circa victum, vestitum, habitationem, officiorum exercitationem, & sic de alijs rebus, &c. *Cum verbo aut scripto breui (ne excidat memoria) Superiori rem exposuerint, et totam curam rei expositæ relinquant, & quicquid ille statuerit, optimum ducant, nec contendere aut vrgere per se, vel aliũ (siue concedatur quod petitur siue non) pergant: quandoquidem sibi persuadere debent, id magis expedire ad Diuinũ beneplacitũ, ac suum maius bonum, quòd Superiori re intellecta in Domino visum fuerit.* hæc in quam S. Ignatius: At è quo fonte? iubet in uere: S. Benedictus enim: *Si cui inquit Fratri aliqua forte grauia aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium, cum omni mansuetudine & obedientia; quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus excedere; impossibilitatis sua causas ei qui sibi præest patienter & opportune suggerat, non superbiendo aut resistendo, vel contradicendo; quod si post suggestionem suam, in sua sententia Prioris imperium perdurauerit, sciat iunior ita sibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei obediat.* Porrò non superiori modo S. Ignatius obediri iubet, sed & aliis ministris inferioribus. Et S. Benedictus, & Abbati & Præposito, & sibi inuicem Fratres debere statuit obedire.

S. Ignat. ubi sup.

S. Ignat. 3. par. c. 1. §. 23.

S. Ben. c. 68.

Paupertatem vterque Patriarcha docet. At Benedictus, quæ bona seu possessiones singulis negat, omnibus concedit, scilicet Monasterium, omnium patrimonium, seu omnes in communi vt aiunt, bona possidere

S. Ben. c. 24. c. 71.

permittit, dempto singulis in particulari, possidend iure: Ignatius vero quatuor professis votorum, nedum singulis, sed & omnibus, nedū in particulari, sed & in cōmuni sacrā redituum voluit esse possessionē; tametsi eosdem & ipse etiam, Collegijs suis, eorumque reditus indulsit. Quid igitur ex suo prototypo Sāctus exscripsit Ignatius? Scilicet *quicumque Societatem ingredi volent, antequam in domo aliqua, vel collegio eius viuere sub obedientia incipiant, debent omnia bona temporalia distribuere, quod nulla re tanquam propria vti debeant, vt nihil proprium domi tenere, ita nec foris apud aliōs potest, vt non possit mutuo dare vel accipere, vel dispensare quicquam de ijs, qua domi sunt, nisi Superior conscius consensum præstiterit.* Totidem enim hoc verbis propemodū à Benedicto in Capite, si debeat Monachus literas vel Eulogia suscipere, sanciuntur. Demum sic pauperem suum instruit Ignatius, vt sui victus, potus, vestitus, & lecti rationem si Societatē sequi velit cogitet fere, vt pauperibus accommodatā, quodque quæ vilissima erunt ex ijs quæ domi sunt ei tribuentur: Et S. Benedictus, suū iubet omni vilitate, & extremitate fore contentū.

S. Benedicto suffecit insinuare Castitatem amandam: Et S. Ignatius ductu pari. Quæ inquit ad Votum Castitatis pertinent, interpretatione non indigēt: cum constet quam sit perfecte obseruanda, nempe emitendo Angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis nostræ munditia. Scilicet vtrique Legislatori visum, cum aliæ virtutes vt plurimum, propter varia discrimina, interpretationem nonnunquam admittant, Castitatem tamen vt Angelicæ dignitatis, ita & puritatis esse, nullo tempore, occasione nulla, nullisve rerum aut locorum differentiis, & circunstantijs violandam: & huius pretiosissimi in vase fictili thesauri, ieiunium, tem-

S. Ignat. exam. c. 4. §. 1.
S. Ben. c. 58. 59.
S. Ignat. par. 3. c. 10. 7. 5.
S. Ben. c. 33.
S. Ignat. p. 6. c. 2. §. 11.
S. Ben. c. 33. 59.
S. Ignat. p. 3. c. 10. §. 8. 5.
S. Ben. c. 54.
S. Ignat. exam. gen. c. 4. §. 26.
S. Ben. c. 7.
S. Benal. de instru

temperantiam, custodiam, sensum, corporis castigationem, clausuram, quæ munimenta poterunt esse, vterque Legislator constituit. Sed iusto essem prolixior, si ea singula relegerem, quæ alter ab altero, Ignatius inquam, è Benedicto expressit. A Superiore incipiamus. *mẽtis bonorũ operum. S. Ignat. p.6.c.4.*

Abbatem Benedictus, Generalé Præpositum Ignatius perpetuum vult. Et hic eum eligi statuit in Generalem Præpositum, qui Deo ac Domino maxime coniunctus ac familiaris est: Abbatem ille vitæ merito & sapientiæ doctrina eligendum, quique nomen Maioris factis impleat, designari cupit. S. Ignatius suorum Monarcham iubet, vt vir sit, cuius in omni virtutum genere exemplũ, reliquos de Societate iuuet: Et S. Benedictus suũ instruit, vt omnia bona, & sãcta, factis amplius quam verbis ostendat, factisque suis Diuina præcepta demonstret. *Sit in Præposito*, inquit S. Ignatius *splendor charitatis erga omnes proximos, & in primis erga Societatem.* Et S. Benedicto præcipiente. *Abbas æqualem debet omnibus charitatem præbere, odire vitia, diligere fratres.* S. Ignatius Præposito commendat humilitatem: S. Benedictus Abbati mandat, vt suam semper suspectam habeat fragilitatem. *Liber sit, inquit S. Ignatius ab inordinatis affectionibus.* Et S. Benedictus edicit, *ne ab eo, Abbate scilicet, persona in Monasterio discernatur, ne vnus plus ametur quam alius;* & c. 65. inhibet, ne inuidiæ aut zeli flamma vrat illius animam. Pergit S. Ignatius, atque ita vult Præpositum suum discere rectitudinem ac seueritatem necessariam cum benignitate & mansuetudine miscere; vt nec se flecti sinat ab eo, quod Deo ac Domino nostro gratius fore iudicauerit, & tamen filijs suis, vt conuenit, compati nouerit: scilicet prius docuerat Benedictus Abbatem debere arguere, obsecrare, increpare, id est *Par. 9. c 2. §. 10. S. Ben. c. 63. & 2.*

miscere temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium Patris ostendere affectum; vt non permittat nutriri vitia, sed ea prudenter amputet, & tamen opera quæ iniungit discernat oportet & temperet, cogitans discretionem S. Iacob dicentis, si greges meos plus in ambulando fecero ambulare, morientur cuncti vno die. Sequitur S. Ignatius, & in Proposito suo postulat, animi magnitudinem ac fortitudinem, doctrinam, prudentiam & discretionem: At quid aliud amabo docuerat S. Benedictus, dum Abbatem iubet, nec improborum timore, nec redituum defectu dissimulare peccata delinquentium, sed ea amputare, & augmento boni gregis inuigilare? Statuitque *sic eum in lege Diuina doctum esse debere, vt sciat vnde proferat noua & vetera; sic prudentem, vt in ipsa correctione prudenter agat; & ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradere æruginam, frangatur vas; sic discretum, vt ipsiusmet discretionis matris virtutum testimonia sumens, sic omnia temperet, vt sit quod & fortes cupiant, & infirmi non refugiant.* S. Ignatius iterum vigilantiam, sollicitudinem, & strenuitatem desiderat. Et S. Benedictus. *Ne dissimulans, inquit, aut paruipendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat sollicitudinem de rebus transitorijs, terrenis atque caducis, sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas de quibus & rationem redditurus est,* strenuitatem, tum præceptam habes, cum Pastor à S. Benedicto omnem diligentiam attribuere vniuersam curam exhibere iubetur. S. Ignatius sanitatem requirere videtur, speciem externam ætatem, vt decentiæ, auctoritatis, & virium ratio habeatur: At S. Benedictus, vt verum fatear, horum non meminit quod sciam; nam tametsi *gratior est pulchro veniens e corpore virtus,* nihilominus tamen S. Benedictus

dictus animæ pulcritudine abunde credidit Abbati suo auctoritatem conciliari: Hinc, *vitæ inquit, merito & sapientiæ doctrina, eligatur qui ordinandus est, etiamsi vltimus fuerit in ordine congregationis*: Nam vt nonnemo ait, veluti & ex humili casa virum illustrem prodire sæpius contingit, ita sub deformi corpore, latet sæpius nobilissimus animus. *Sit Præpositus (dictante S. Ignatio) omni virtutum ornatu clarissimus*: Et S. Benedicto iubente. *Abbas omnia Sancta & bona debet factis ostendere*. Demum inter alia decernit S. Ignatius, vt habeat eximiam probitatem, amorem erga Societatem, iudicium bonum, doctrinam idoneam: Quæ totidem habet sententijs S. Benedictus: probitatem vitæ; merito & sapientię doctrina, contineri dicas: amorem, ad dilectionem fraternam: iudicium bonum ad prudentiam seu discretionem reuoca. Doctrinam idoneam, tum iussam crede ab eodem B. Patriarcha, cum Abbatem doctum in lege Diuina cupit, vt sciat vnde proferat noua & vetera. Perpetuum Abbatem, S. Benedictus, Præpositum, S. Ignatius vult, qui omnem habeat potestatem in Societate: Et S. Benedictus omnia ponit in Abbatis arbitrio, eique cunctos obedire, ipsumque cuncta disponere edicit. Filios suos S. Ignatius nihil ex internis vel externis vult celare superiores suos. Et suos Benedictus Monachos, omnes suas cogitationes, malaque à se commissa absconse, Abbati statuit reuelari. Quid per singula eo? sexcenta sunt, si aut monasterij regimen, aut virtutes in vtriusque Regulæ præscriptis expendere liberet, quæ alterum ab altero transcripsisse constat; vt optime & verissime à sapientissimo Magistro Grauina assertum fuerit S. Ignatium à S. Benedicti institutis multa hausisse, siue ea considerentur quæ ad interiorem ho-

S. Ignat. p. 9. c. 3.
S. Ben. c. 3.
Grauina in congeminata

voce tur minem, siue quæ ad œconomiam spectant.
turis. Plane tametsi sua veritate constaret, adiutum in suis regulis componendis Ignatium, dum Casini hæreret, à Benedictinis Monachis, quod probandum assumpsimus; etiamsi nihil e Benedictini norma, in suã Ignatius transtulisset, cum tales tantique viri, disciplinæ religiosæ experientissimi, versatissimi in rebus & praxi Religiosorum, tam aliunde, quam e suo fonte potuerint sitienti Ignatio aquas purissimas & perfectissimas propinare; docere illum, quid suæ Societati instituendæ, erudiendæ, conseruandæ esset aptissimum; nihilominus tamen, cum in Constitutionibus Ignatianis, plura voluerimus, potuerimus plurima ostendere expressa e Benedictina regula, validiori amẽto telum intorquemus; solidius inquam concludimus astitisse S. Ignatio supradictos monachos, dum Instituto suo cudendo allaboraret. Et hoc clarius mox patẽbit, dum maioris momenti aliqua damus (e Benedictina inquam regula); nam tametsi eorum plura, etiam in aliorum Patriarcharum sanctionibus inueniantur; verisimilius tamen est eum Casini hærentem, à Casinensibus edoctum, e Casinatum regula & legibus supra adducta mutuatam fuisse a societate vsurpata, e Benedictinorum praxi laudabili. Sed hæc antequam adducamus, caueæ structę Grauiniano turturi infringamus clathros; inuisamus inquam Anonymum quendam, qui superius asserta, inter fabulas, ipsemet fabulator egregius, retulit.

Re-

Respondetur cuidam Theologo, structori caueæ Grauiniano turturi; & quæ habet circa adducta proxime superius, examinantur. Caput VI.

REuerendus admodum P. Magister Dominicus Grauina, e familia S. Dominici, librum ediderat, quem vere dixeris Religionum omnia antiquarũ omnium præcipue propugnaculum; sic ille eruditissime earum se patronum exhibuit: Vox turturis libello nomen fuit. Tutturi caueam struxit anonymus quispiam: & quantus in Religiosorum patrocinium Grauina, tantus in eorundem vituperium ille insurrexit. Sed iterum ingenuit turtur, & refractis cancellis se e venantium laqueo eripuit, caueæque structorem, opera eruditissima eiusdem P. Magistri Grauinæ, non minimo pudore suffudit. Consule Lector Turturis cõgeminatam vocem, & eiusdem P. Grauinæ, si religiosa quapiam ex familia existas, deosculare suauissimum ingenium, amplectere strenuissimum pugilem tuum quicunque vero es, admirare candidissimam illius mentem, lauda eruditum calamum. Hic igitur Grauina in præfato libro, post amplas laudes strenuorum militum Societatis Iesu, quos Diuinitus asserit missos ad defendendam Ecclesiam, lætitia gestiens ex nouis adiunctis commilitonibus, clamat: *Soror nostra es Sancta Societas, crescas, in millia arctissimo vinculo charitatis nobiscum os colligata, vt solus habitus distinguat; quos idem finis & propositum indiuisos facit; Recole quod S. Ignatius Loiola Fundator tuus & princeps, &c. suos quos condere volebat Canones ex Regula protoparentis Monachorum S. Benedicti tanquam flores decerpsit, eiusdemque S. Benedicti institutis suos informauit: Casini enim degens, montem illum contemplationis*

aliquot

aliquot mensibus inhabitauit, ibique velut alter Moyses & Legislator secundus, religiosarum legum tabulas fabricauit, primis non absimiles. Hæc ille. In quæ caueæ structor hæc exasciauit; *Fabella est,* (*inquit*) *S. Ignatium, quos condere uolebat Canones, ex Regula protoparentis Monachorum S. Benedicti tanquam flores carpsisse, eiusdemque institutis suos alumnos informasse.* Sic in ipso limine Grauinam milesijs initiatum inducit, cum mutato nomine, de ipso potius fabula posset narrari. Nam qua ipse veritate neget S. Ignatium è viridario Benedictino in suum transtulisse flores; cum ex his quæ proximè diximus, ipsisque rosis & violis ostensis plurimis innumerisque alijs, quæ decerpi possent, tum ex dicendis statim plusquam clarissimum euadit.

Canea Turturi c. 16. p. 226.

At quomodo Grauinam fabellæ redarguit? *Quia* (*inquit*) *non eo tempore Casinum adijt Ignatius, quo Constitutiones ac Regulas sui Ordinis sanxit, sed initio Romanæ commorationis cum Doctore Ortizio exercitiorum causa, nondum condita Societate.* Num dici posset condita Societas Anno MDXXXVIII. quo contigit hæc Casinensis profectio, dicat Iulius Nigronius qui per multas paginas contra Castaldum, & literis Pontificijs, & argumento ex processu pro apotheosi ducto, ex Orlandino ex legibus præscriptis, ex indito nouellæ Societatis nomine, ex Societatis natali die, ex Mapheo, ex Ribadineira, ex pluribus aliis, ex literis Galliæ Regis contendit, antequam Romam venissent Socij, scilicet dum Venetijs hærerent; & etiamnum prius, Societatem sic coaluisse, vt pro facta & perfecta haberetur; scilicet cum iam inchoata esset, & propinqua perfectioni: vnde & pagina superiori dixerat potuisse B. Caietanum Anno MDXXXVII. Societatem à Pontifice cõfirmandam præuidere non abs S. Ignatio fundan-

Ful. Nigron. in disputatione histor. de S. Ignat. & B. Thiaeo, pag. 135.

dandam: Et postea inquit: *Nego Societatem non extitisse ante Confirmationem*. Sed quia presse proprieque se locutum, structor posset asserere, scilicet Societatem non prius fuisse conditam, quam accederet Summi confirmatio Pontificis; ideo pressius cum illo agendum est, & ad ipsum ex ipsius confessione argumentandum. Fatetur igitur cum Orlandino, in ipso Manresiano fece su, perspicuas suorum Institutorum à Deo impressas & quasi consignatas in animo S. Ignatii notiones & intelligentias. Si autem Institutorum, ergo & Societatis instituendæ, legumque quibus in futura sæcula ea perennanda fuit. Et observa, non quaslibet eum notiones, quæ forsitan enodationis indigerent, sed intelligentias, quæ ea quæ sunt perspiciunt; easque non quaslibet, sed perspicuas, in animo consignatas habuisse: Quasi diceret S. Ignatius, dum Manresæ hæreret, non confuse, non dubie, sed clare, distincte præuidit Instituta, quæ postea laturus erat, tanquam si ea sibi præsentia fuissent; id enim vox, Intelligentia, dat. Ergo si iam tum ipse perspicue intuitus fuerat quæ postea instituturus erat, ipsas leges & Societatem a se postea institutas præuiderat. Si vero quis obijciat Orlandinum dicentem etiam post quã Romam socij aduentassent, anno scilicet MDXXXIX, post reditum S. Ignatij, e Casini monte, in eam partem, à sociorum nonnullis in Conuentu dictum, qua suadebatur nihil noui Ordinis assumendam, &c. Respondebit Nigronius; *Certum esse multa plura in Ignatij mente insedisse, quam in animis suorum de forma futuræ Religionis, longius prospexisse illum in futurum quam sodales; erat enim inuentor operis, & architectus ipse, non illi; proinde potuit euenisse, vt illi quamuis ad Societatem conflandam animis & corporibus conuenissent: tamen*

Ful. Nigron. p. 137.

Cauea Turturi ubi sup.

Obiectio.

Ful. Nigron. ubi sup. pag. 136.

nihil

nihil de perpetuitate Societatis cogitassent, quod in Ignatij
Pag. 137 *erat alta mente dispositum,* & postea ait: *Respondeo, perpetuitatem in Ignatij mente insedisse, alios de ea nondum communi consensu decreuisse.*

Porrò ipse S. Ignatius, dū anno circiter. MDXXX. in Belgium excurreret, prædixit Petro Quadrato, constructurum eum olim Collegium Societatis Iesu, quod & postmodum subsecutum est: Et hanc reuelationem latissimè defendit Nigronius, eiusque veritatem propugnat, vt plane constet, etiamsi demus Societatem conditam non fuisse anno MDXXXVIII. id est confirmatam auctoritate Sacerdotis summi, certissimum tamen fuisse S. Ignatium ex suorum mente, condendę, stabiliendæ, perpetuandæ illius. Quod si hoc verum esset vt Nigronius habet, dum S. Ignatius Venetiis cōmoraretur; multo sane apparentius fuit, postquam desperata profectione Hierosolymitana, Romam aduentasset, maximis viris, Sanctoque Summoque Pontifici se suæque rationem intentionis comprobasset; ipsumque illius institutum iā feliciter se incepisset explicare. Dein S. Ignatius accepit dum Venetiis hæreret B. reuelante Thienæo, se religiosam familiam conditurum: Imò & ipse Sanctus, dum acri polleret iudicio, cuperetque Societatem stabiliri, & perennari, in dubio ex prudentiæ regulis, ea omnia facturus erat, quæ ad ipsam stabiliendam facerent.

Concludamus igitur S. Ignatium, dum Casinū proficisceretur, tametsi condita non esset Societas, si presse loquamur, & desideremus Pontificiam auctoritatē, conditam tamen, id est inchoatam, imò continuatam, & suo modo, nomine, legibus stabilitam, vt pro facta,
Nigron. vbi sup. & perfecta haberi potuisset ex Nigronij mente Sanctumque, Ignatium indubium prorsus fuisse illius tum con-

confirmandæ proximè, tum ſtabiliendæ. Ac propterea non adeo mirum fuiſſe; ſi ipſe dum Caſinates adiret; de ea, legibus munienda cogitaret; præſertim cum ſciret apud antiquos frequentatiſſimum; vt qui ſuum à S. Sede inſtitutum peterent confirmari: etiam leges, ad quarum ſe normam viuere profiterentur exhiberent.

Igitur vt reſpondeamus: Eſto non adierit Caſinum eo tempore quo Conſtitutiones ac Regulas ſui ordinis ſanxit; adijt tamen cum in proximo eas laturus eſſet Pontifici exhibendas; cum præſcius vt ſui docent confirmandæ mox Societatis, ſciret neceſſarium prorſus condendam Regulam. Demum vt vno verbo abſoluam, adijt cum meditabundus de legibus ſanciendis eſſet. Quidni igitur illos conſulere potuit; illos audire, doceri ab illis, ſueque altius menti imprimere, tanquam in aduerſaria referens, tum quod in ſacro vidiſſet monte, tum quod ſupradicti Monachi ad eum inſtituendum dati, ſupet ijſdem legibus cenſuiſſent, tam quod cum illis fuiſſet commentatus inferendum poſtmodum Conſtitutionibus ſuis, ad locupletandum & perficiendum eas, ſuos informandum. Quod ſubiungit ſtructor, ex Orlandino conuinci, S. Ignatium domi ſuæ, quicquid de Societatis diſciplina & officijs conſtituere voluit, ſolerti induſtria expendiſſe, atque omnium bonorum Auctori in ara ſupet qua ipſe priuatim celebrabat delibandum obtuliſſe; nullumque in eo labore librorum apparatum præſto illi fuiſſe nullum codicem præter Miſſarum volumen & Breuiariū precum Canonicorum; nihil noſtro officit aſſerto: Quicquid enim, ſeu apud Caſinates hauſiſſet, ſeu ex aliorum ſanctionibus Patriarcharum didiciſſet, ſeu aliunde tanquam apis argumenta legiſſet, id omne

Structor Cauæ Turt. p. 227.

in-

inquam, post quam tota in eũ cura Instituta legesque condendi à socijs collata fuisset, (quod accidit non ita multo post) expendere solus potuit, discutere, & ad sui intenti, & ideæ Societatis à se conceptæ amussim examinare, invocata solerter Numinis gratia, quæ ei præsto adesset. Nec ea industria prohibebit, quin sit verissimum, ipsum cum leges in proximo laturus esset, Casinatesque aditet, adiutum ab ijs, instructumque fuisse; qui, quod in suas regulas referret, non minimi momenti plura suggesserunt libenter, & subministrarunt. Nec enim quispiam mihi dixerit, nullas illius partes fuisse in exstruendis ædibus, qui aptissimam materiam & designat & conuenit, qui consulit quo ortu natu illæ quo situ exædificandæ sunt, omnes autem illius qui materiam aduectam seligit, ornat, ædificat, aliaque opera perficit. Et hæc etiam mens fuit doctissimi P. Grauine. *Licet (inquit) non eo tempore quo Casini commoratus est S. Pater suas Constitutiones composuerit sed sua domi, sine librorum ministerio, nihil obstat vt obseruantias sacras, quas in Casino monte viderat expertus erat, & fixius suæ pientissimæ menti impressérat, suo tẽpore tanquam paradigmata oblatas calamo exprimeret augendo moderando, & ad summi instituti quæ conferebant adoptando.*

Grauin. in congeminata voce.

Turt. discuse. 116. pag. 470.

Nec video ego, quid aut veri minus simile cõtineat, aut difficilioris persuasionis, de suæ Societatis legibus ferendis Casinates cõsuluisse illũ, cũ Instituta legesque condentẽ Orlãdinus inducit, accurate omnia solerterque circũspicientem, & mysticũ Ecclesiæ corpus, membraque singula cõtemplãtem, præsentem Ecclesiæ statum, & illorum temporum calamitatem secũ perpendentem, religiosorum ordinũ instituta quæ tum erãt in orbe, & munerum varietates, vnde is maximè subleua-

Orland. histor. S. I. lib. 2. n. 116.

retur

retur attendentem. Nam si in confesso sit religiosorum Ordinum Instituta quæque, ipsum attendisse; cur non eorundem Institutorum professores? Si mortuam regulam, cur non & viuam? Si inquam leges omnium ordinum regularium considerat, cur non (præsertim cum ea esset prudentia & humilitate) earundem legum interpretes optimos consulere potuit? hinc si in suarum scriptione legum, non ei dedecus visum, non detractum spiritus vnctioni, Regulas omnium ordinum considerando; nec pariter illi aut vlla fiet iniuria, aut minus dixero Numen & ea fuisse, si eum Casinates optimos suarum sanctorum, & magni Patris Benedicti spiritus & disciplinæ interpretes adijsse & consuluisse dixero. Imò cum vides audisque illum, religiosorum ordinum instituta, & munerum varietates attendisse, & Casinates (cum tantis hoc testimonijs & momentis, quanta superius congessimus, nitatur) ipsum interrogantem & consulentem, ipsos S. Ignatium instruentes & adiuuantes existima.

Ignatius attendit Regulas, cur non & Regularũ interpretes?

Et hic structorem cauęę in cauęam compingamus licet, qui cum Orlandinus prius Beatum asserat Ignatium, religiosarum familiarum regulas inspexisse & attendisse, quam suas ipse conderet: ipse tamen: *Si quando (inquit,) postmodum Sacrorum Ordinum regulas considerauit, & ex illis lumen ac directionem, in magis particularibus auxit, non minus ex S. Augustino, &c* Scilicet tametsi Orlandino in sua relatione nitatur, ipsumque eundem met locum Orlandini à nobis laudatum citet in margine, quod prius tamen Orlandinus, ipse posterius factum asserat, quum aliorum ordinum regularium inspectionem; institutorum suorum compositioni dicat Orlandinus præcessisse, ipse subsecutam astruat; ipsoque eodem halitu Orlandino contradicit,

Struc. cauęę pag. 227 Orlandino cõtradicit.

dicit, cur præcipue innitebatur, idque non tam probabili coniectura. Multo enim maiori veri specie Orlandinus religiosorum ordinum instituta & regulas; nes insuper Casinates monachos (cum tam insignis se offerret occasio) eum consuluisse asserimus, ab iisque edoctum, cum iam se ad scribendum accingeret; quã Structor caueæ eum tam demum Patriarcharum Sanctiones perpendisse dicat, cum suas ipse Diuino adiutus numine, lumine collustratus, conscripsisset. Quis enim volens ædificare domum, non prius computat sumptus? Quis pulcherrimã expressurus tabulam, non prius alias circumspicit pari excellentia, ad quarum elegantiam componat suam? Certe vt Grauina habet ex Climaco; Zeuxes picturus Iunonem Agrigentinis omnibus virginibus inspectis, quinque præcipuas elegit, ex quibus quid esset in vnaquaque præcipuũ imitaretur. Sic Romani suas describpturi Tabulas, in Græciam miserunt, qui inde leges referrent prius inspiciendas. Ipsaque dictat prudentia, pulcherrimi operis effectorem, prius non posterius circumspicere debere excellens prototypum, exemplaria absoluta, ad quarum perfectionem, suum delineet perficiatque. Igitur cum structor caueæ assentiat S. Ignatium inspexisse aliorum regulas, Augustini videlicet, Basilij, Pachomij, Cassiani, quin & amæniſſimos Thomæ à Kempis (Ioannis Gersonis diceret) hortos, fateatur cum Orlandino, cum veritate, cumque prudentia ipsa, id antequam, non postquam suas regulas composuisset, ipsum fecisse.

Grauina congem. voce tur. discus. c. 16.

Struct. Caueæ p. 227.

Caueæ turturi vbi sup.

Subiungit Caueæ structor. *Accedit eiusdem S. Fundatoris ingenua confessio rationum omnium summam ad Manresianum secessum spectare, in qua perspicuas suorum institutorum à Deo impressas & quasi consignatas*

in animo suo notiones & intelligentias accepisset. Si institutorum suorum notiones & intelligentias accepit Manresæ, cur sic inducitur aliorum peragrans hortulos, flores decerpens? Si autem concedat structor caueæ, tametsi multus eum inundasset Diuinus spiritus, multæ reuelationes collustrassent Manresæ; illum tamen aliorũ Patriarcharũ instituta cõsuliſse, postquam sua tuliſset; Quidni enim stante eo Manresiano secessu, prius ea Casinatesque licuit illi inuisere, eaque in rem suã componere? imo præter vniuersa ea charismatum dona, præter tot tantasque colluſtrationes cõcessas ei Monresæ abunde, constat ex diario ab ipsomet Patriarcha Ignatio relicto, plurimũ & præstãtissimum intellectui ipsius illapsum lumen, dum easdem Cõstitutiones ferret, vt dicere audeat Orlandinus, illas ipsum non tam magistra prudentia, quam Deo pene dictante conscripsisse. Vt si ego iniurius sim Diuinis charismatibus Manresæ concessis, qui eum postea inducam e Casinatibus, e Benedictinę regulæ oceano patentem aquas, antequam suis ipse Diuinorum institutorum cataractas aperiret. Certe ipsemet Caueę structor, Diuinis corruscationibus, nedum Manresę, sed & Romæ illucescentibus, illi dum Regulas suas elaboraret, iniurius est, qui illum post vtrasque in scenam agit, suam e Patrum regulis locupletantem. *Orland. lib. 2. n. 116.*

Iam vero, vt dicam ingenue quid sentiam de ea propositione. Accepisse illum intelligentias & notiones omnium suorum institutorum dum Manresæ esset: Testor primo æternum Deum, ipsumque Sanctum, me nunquam adduci posse, vt ea scribam, quæ existimem gloriæ illius detractum ire; imo protestor, ex quo hoc opus exarare cępi, plurimum accessisse incrementi, de- *Auctoris protestatio.*

uotioni illi quam prius in Sanctum habueram; ita me cæperunt virtutes suæ, quas iam penitus datum fuit videre & considerare.

Igitur si velint Iesuitæ, Manresę S. Ignatium præuidisse Instituta sua, Regulas scilicet & Constitutiones, eorumque notiones & intelligentias accepisse, difficulter plane illud mihi probabunt: & ratio duplex est; non a me conficta, sed e Iesuitarum petita historijs. Nam Petrus Mapheus: *Interea* (inquit) *Ignatium Hierosolymitana commoratione prohibitum, grauis coquebat cura, quid ageret, quodnam potissimum vitæ genus eligeret; ac multa secum agitanti, venerat illi dudum in mentem, Canobium aliquod ingredi maximè dissolutum, vt ibi dum lapsam religionis disciplinam, & verbo & exemplo conaretur ad veterum instituta redigere, & cæteris aliqua re prodesset, & ipse interea, quod necessario futurum videbat, ab ijs qui restringi se nollent, multa pro Christi nomine pateretur:* Et Petrus Ribadineira: *Ex quo* (inquit) *primum Ignatius animum ad studia contulit, magna deliberatione sollicitari cepit, vtrum decurso studiorum curriculo religionem aliquam ingredi, an liber & expeditus ad salutem animarum vagari, alioque sibi eiusdem proposiți socios deberet adiungere; quæ sanè consultatio valde eius animum sollicitum habuit; quod si religio complectenda esset, ea demum sequenda videbatur, quæ labefactata esset ac planè dissoluta, in qua videlicet multa pati, &c.* Imò quod clarius longe ac fortius est; Petrus Ribadineira in epistola sua ad P. Franciscum Gironam, quę extat apud Iepium in Chronica Ord. S. Benedicti ad anni 338. expresse ait: Sub ijs principijs, scilicet dum Manresæ hæreret Ignatius, ignorasse illum quid Deus decreuisset de illo facere. Vide mihi, si reuersus Hierosolymis

Petrus Maph. in Vita S. Ignatij.

Ribad. in vita S. Ignat. c. 16.

Ignatius Mãresæ notiones de Societate habere non potuit.

diu

diu scilicet postquam Manresę hęsisset, dubius animi penderet, quid ageret, quodnam potissimum vitę genus eligeret; num cœnobium dissolutum ingrederetur; si ignorarit quid Deus decreuisset de illo facere; non video sane quomodo affirmari possit, aut suorum institutorum ac Constitutionum notiones accepisse illum in Manresiana specu, aut certum fuisse religionem a se condendam. Deinde, cum instituta sua nihil de Hierosolymitano itinere injiciant, imo instituãt homines gloriose ad nutum pedesque Christi Vicarij abjectos, eos in academijs & ex ijs educunt ad salutem animarum, sexcenta habent, quæ minime conueniũt cum sacris Hierosolymitanis locis; quomodo prævidit ea instituta à se condenda S. Ignatius; & tamen etiam postquam socios collegisset, tam ardenter cupiens fuit in Palæstinam transmittendi? Certe si talia à se prævidit instituta condenda talem Societatem non debuisset nec voluisset tanto conatu niti Hierosolymas proficiscì. Igitur alterum corruat oportet; vel non habuisse ipsum omnium suorum institutorũ notiones & intelligentias in Manresiano secessu: vel immerito, Mapheum & Ribadineiram inducere eum dubium de vitæ genere amplectendo, volentem cœnobium alterius religionis ingredi; immeritoque suos illum asserere tanto animi ardore nisum, vt ad sacra redemptionis loca transmitteret, Hinc etiam labascit illud structoris Caucæ: Propterea non consuluisse, illũ Casinates Monachos, nihil hausisse ex Benedictna regula, quod suorum Institutorum notiones & intelligentias Manresæ accepisset: illos enim, vt ex prælegatis Auctoribus colligitur, non accepit; atque propterea à Benedictina Regula instrui, à Casinatibus doceri, æquum est cẽnsere. Nec officiunt hæc ijs quæ

ſupra diſputauimus de S. Ignatio, præſcio, condendæ Societatis; nam ibi ad ipſos Ieſuitas ex eorum mente argumentati ſumus: dein, cum S. Ignatius à B. Thienæo edoctus eſſet de ſocietate fundanda, cum Caſini exiſtens, ſcilicet deſperato Hieroſolymitano itinere, rebuſque omnibus cõſpirantibus ad ſtabiliendam ſocietatem; etiamſi ad Manreſæ raptus non confugiamus; nemo eſt qui ex prudentiæ regulis non confiteatur, indubium protſus exiſtere, S. Ignatium non fuiſſe dubium Societatis condendæ:

Cauea in art. p. 228. Quid igitur Caueæ ſtructor, fabulas impingit Grauinæ, quid pulchro epiphonemate ſubnectit. Quid ergo Grauina de Montiſerrati inſtitutore, quid de S. Benedicti inſtitutionibns fabulatur? De Montiſerrati inſtitutore videbitur alias: De S. Benedicti inſtitutionibus, tot a me dicta ſunt ſtructorem, quiuis fabulæ, illiuſque craſſiſſimæ redarguat. At fabulam dicam, an delitamenta quæ addit?

Idem Sanctus Iacobo Lainio tribuit, quod ſupra omnes ſocios de Societate fuerit præclare meritus; quod dictum Franciſcum Sacchinus ad ordinis inſtitutionem refert, quam contra nouitatis inuidiam, ſolidis reconditioris doctrinæ firmamentis conſtabiliuit. Sanctorum enim facta & Fundatorum Regularium leges & ſtatuta attentiſſime peruoluta calluerat, eoque familiarius ab Ignatio in his quæ cælitus non comperiſſet ad conſilium adhibebatur. Vides iterum Grauina, neque regulis S. Benedicti, neque PP. Theatinorum Societatis inſtituta primario aſcribi, ſed propriæ vocationis fecunditati: Quo hic opus cæmento, vt hęc rite cohæreant? An ſic argutandum eſt: S. Ignatius Iacobum Lainium optime de Societate meritum docet, quod edoctus ipſe aliorum Fundatorum regu-

las,

las, Societatem contra Nouitiatus inuidiam defendit. Ergo instituta Societatis primario ascribi debent, non regulis S. Benedicti, aut PP. Theatinorum, sed propriæ vocationis fæcunditati. Vel sic: Iacobus Lainius familiariter à S. Ignatio adhibitus fuit, in his (scilicet institutis) quę ipse cælitus non comperisset. Igitur instituta Societatis primario ascribi debent, non Regulis S. Benedicti, aut PP. Theatinorum, sed propriæ vocationis fæcunditati.

Vertat se in omnes partes structor, se in caueam citius quam argumẽtum hoc in formam conijciet. Quæ etenim amabo cõsequentia: Iacobus Lainius institutã Societatẽ defendit à nouitatis inuidia, ex aliorũ Fundatorum institutis, quæ optime calluerat; igitur instituerat eã S. Ignatius ad normam & instituta aliorum Regularium ordinũ, & consequenter eorum instituta legerat; consuluerat, & in sua transtulerat. Pariter quis non meliori iure fecerit illationem: S. Ignatius adhibuit Iacobum Lainium doctissimum aliorum ordinũ regularium, in his quæ ipse cælitus non comperisset; igitur Instituta Societatis non sunt ascribenda in totũ propriæ vocationis fæcunditati: quam eam structor fecit. Optime omnium meritus de Societate fuit à S. Ignatio in his quæ ipse cælitus non comperisset: igitur Instituta Societatis non sunt ascribenda primario Regulis S. Benedicti aut PP. Theatinorum, sed propriæ vocationis fæcunditati; ita secum ipse pugnat structor, vt nedum sibi aduersantia, sed & suo contraria instituto pronunciet.

Examinantur verba structoris Caueæ, de P. Iacobo Lainio.

Porrò si Lainius in his adhibitus, quæ S. Ignatius cælitus non comperisset; igitur non omnia debentur propriæ vocationis fecunditati; aliqua Lainio; atque adeo aliqua per eum Sanctorum regulis. Dein non hic

quæstio fuit, cui primario, cui secundario ea Instituta ascribi debeant: esto primario fæcunditati propriæ vocationis S. Ignatii eiusque prudentiæ; quidni aliquid Casinatibus? quidni Benedictinæ Regulæ aliquid ascribatur? Nam certe si primario alicui secundario alteri ascribenda veniunt. Demum Lainius defendit institutam societatem, quod ego instituta ipsius interpretor: At non hic quærimus quis latas defenderit leges, sed quis a quo adiutus, & equibus tuleritoptimè enim hæc inter se cohærent: Lainius propugnauit instituta legesque Societatis ex aliorum Sanctorum regulis, quæ S. Ignatius Casinatum consilio, auxilio aliarum Regularum, interque eas Benedictinæ alijsque Diuinæ gratiæ adiumentis scripsit.

Et hæc hactenus, vt fabulosum ostenderemus structorem caueæ; dum fabulas impingit Grauinæ, ipsumque prodamus nihil in medium adduxisse; quo minus tum Angeli Sangrini, oculati testis, tum Vvionis, Grauinæ, Annalium Casinensium, M. Antonij Scipionis testimoniis, tum perpetua montis Casini traditione nixi; adductis præsertim quę dici posset S. Ignatius e Benedictinis legibus desumpta, in suos transtulisse. Definiamus, & vt rem certissimam transmittamus posteritati, S. Ignatium profectum in Montem Casinum, scilicet solito more, dum magni aliquid aggrederetur aut faceret, ad Benedictinos diuertens, à Casinatibus Monachis iustructum ad suas Constitutiones condendas, in quas e Benedictina regula, plura & eximia transcripsit.

S. Igna-

S. Ignatius alia nonnulla, quæ apud Societatem laudabili sunt in vsu, à Benedictinis mutuatus est.
Cap. VII.

EXpressimus in superioribus, quę e Benedictinis in suę familię leges transcripsit Ignatius. Poterat quidem earum plurima ex aliorum fontibus haurire, (nam cum Religionum quælibet per tria vota incedere conetur ad Charitatis perfectionem, mirum adeo non est, si in suis obseruantijs & mediis conspirent in plurimis) at e Benedictino nos eum desumpsisse asseruimus: tum propter tantorum testimonia virorum; tum quod cum Casini suas meditatus fuerit Constitutiones, & à Casinatibus instructus, maiorem veri speciem habet, e Benedictinis ea legibus, quam aliunde translata. Iam vlterius progrediamur, demusque nonnulla, quæ laudabili vsu apud Societatem Ignatianam sunt, a Benedictinis, praxique Benedictinorum decerpta.

Duo hic non ingererem, de vsu generalis confessionis, & ratione meditandi per puncta; nisi accepissem à fide dignis hominibus, Iesuitas se vtriusque auctores gloriari; tametsi quia audiui tantum, diutius non immorabor.

Et de generali Confessione; nescio qui illam Inuentum suum dicere possint, cum (vt non ascendam ab vlteriora PP. Benedictinorum tempora) ipsemet Ignatius pro testimonio erit, apud Benedictinos eam in vsu fuisse iam antequam Societas incæpta fuisset. *Nam cum nouam hominem cogitaret induere, venit ad Serratum montem, (ait Ribadineira,) vbi Benedictina ascetica vigebat; ibique optimo Confessario totius vitæ suæ crimina per triduum ex scripto confessus est: confessus* Ribadineir. li. 1. c. 4.

ſcilicet, quia Orlandino etiam teſtante, Clanonius menti eius iniecit, vt generalem confeſſionem inſtitueret, tanto videlicet fructu ſuo, expertus eſt vſum huiuſmodi generalis confeſſionis apud Benedictinos, quæ à multis ante temporibus in Benedictina religione floruerat.

Orland. libr. 1. n. 17.

Idem eſt, de oratione per puncta, iudicium extat enim Gerardi cuiuſdam Belgæ, Præsbyteri Benedictini, (vt ex ſcriptis eius apparet) Abbatis, & antiqui ſcriptoris, nuper verò editi à Gabriele Buzlino (noſtri Ordinis ſuauiſſimi & doctiſſimi ingenii. Monacho Sueuo) vt aurea omnia, ita & de meditatione gemmeũ quoddam pronunciatum; vt vel inde diſcas, quanti fecerint antiqui Monachi noſtri meditationem: *Meditatio,* (inquit) *& examen conſcientiæ, cibus, & potus animæ religioſæ.* Et poſtea: *Meditationem dicebat quaſi rationem Monachi, qua ſine Monachum brutum, aut dementem appellabat.* Et mox: *Vna & optima prioris examinis meditatio eſt medicina; vt meditationem Heroes noſtri, antiqui Monachi eſſentiam exiſtimauerint.* Extat etiam (vt alia antiquiora nunc omittam) impreſsus liber Ludouici Barbi Abbatis, atque ante ducentos & amplius annos Congregationis Caſinenſis ſiue S. Iuſtinæ, auctoris, de eadem meditandi & orandi methodo, Monachis Congregationis ſuæ tradita. In Cõgregatione etiam Hiſpanica viguiſſe eandem contemplandi formam ante Ignatij tempora, clariſſime patebit ex dicendis inferius, de Exercitijs ſpiritualibus à Garcia Ciſnerio Abbate conſcriptis, & Monaſterijs ſuæ Congregationis traditis. Sed hæc, quæ ab aliis tantum acceperim, omitto latius proſequi, aliaque ſubnectens, a votis ſimplicibus incipio.

Ribadin. l. 3. c. 22.

Et ea quidem, quantum attulerint emolumenti Ignatianæ Societati, breuiter Ribadineira deſcripſit:

An-

Antiquissimum (inquiens) huic Societati est, vt quo puram se ac sinceram tueatur, quicquid vitiosum ac corruptum est præcidat; neque quenquam retineat, quem ex instituto retinere non debet: id autem consequitur beneficio votorum simplicium, quæ sic ea vouentem ligant, vt tamen Præpositi generalis arbitrio possit dimitti. Addit dein: *Votorum huiusmodi inuentionem Scholasticis (Iesuitis) salutarem, Societati necessariam, perutilem Ecclesiæ Dei;* & tandem concludit. *Non ita nouum esse votorum simplicium inuentum, vt non multa eius vestigia in Seminarijs antiquis Clericorum habeamus: quemadmodum in nonnullis Toletanis Concilijs, aliisque videre est.* Citat dein in margine Toletanum secundum, capite 1. Toletanum quartum, c. 23. Cabilonense, c. 3. Aquis grauense, c. 135. At dic mihi Ribadineira, quid tu vestigia consectaris; quid vmbram insequeris, cum rem ipsam tenere possis? Quid inquam, simplicium votorum vsum in Concilijs venaris tam infeliciter, cũ ipsum apud Benedictinos facillime in viridi etiam praxi repetiisses?

De Votis simplicibus Iesuitarum.

In feliciter inquam venatus es, vt facile constabit si vna proficiscaris mecum ad laudata à te Concilia. Quo interim dum pergimus, permitte tuis tibi verbis explicem Institutum vestrorum: ais igitur: *Biennio expleto illi ipsi, & ij etiam qui secundo genere continentur, ac spirituales coadiutores vocantur; Scholastici præterea, ac temporales coadiutores votis se perpetuæ paupertatis, castitatis & obedientiæ post nouitiatum astringant: quæ quidem vota simplicia, non sollennia sunt: quibus nimirum ita astringuntur, vt liberum tamen Societati ante professionem (vltimum videlicet & sollemnem 4. Votorum) quam paucis concessum emittere, quos non probat dimittere, ac dimissos ab omni votorum obligatione ab-*

Ribadin. l. 3. c. 22.

absoluere, hæc tu. Iam videamus, quod eius vestigium in Conciliis reperiatur. Et in Concilio quidem Toletano 2. quod primo posuisti loco, ego illud definitum inuenio: *Eos quos voluntas Patrum à primis infantiæ annis Clericatus officio mancipari; mox vt detonsi fuerint, vel ministerio Electorum contraditi in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à Præposito sibi erudiendos, at cum octauum decimum ætatis suæ compleuerint annum, coram totius Cleri plebisque conspectu, voluntas eorum de expetendo coniungio ab Episcopo perscrutetur; quibus si gratia Castitatis placuerit, & professionem castimoniæ suæ absque coniugali necessitate se spoponderint seruaturos; hi tanquam appetitores arctissimæ viæ leniissimo Domini iugo subdantur. Cauendum tamen est his, ne quando suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut furtiuos concubitus vltra recurrant: quod si forte fecerint, vt sacrilegij rei damnentur, & ab Ecclesia habeantur extranei. His autem quibus voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus*, hæc Concilium: Ex quibus nescio quo odoratu pollere debeat, vt vestigium votorum simplicium olfaciat Ribadineira. Nam primo loquitur de iis Canon, qui infantes à parentibus oblati fuerunt: at simplicia vota, non nisi adultus, quindecim & amplius annorum, idque non parentum oblatione, sed arbitrio emittit suo. Possunt Iesuitę emisso voto dimitti, non possunt illi, quorum Canon ingerit mentionem. Canon ait: Posse infantes illos libere cum adulti fuerint discedere: Institutum vestrum, Ribadineira, libertatem eam in dimittendis non dimissi voluntate ponit: Vestros ad eum modum dimissos, ab omni votorum obseruatione absoluit Præpositus Generalis;

Concilium Toletanum 2. can. 1.

at

at ij de quibus Canon, si ad terrenas nuptias recurrissent, sacrilegii rei, & ab Ecclesia habebantur extranei, hic, vt sensus Canonis fuerit, infantes à parentibus oblatos, ante professionem quidem, libere potuisse ad sæculum redire, contrahere nuptias; post factam vero professionem, absque sacrilegij crimine, non potuisse ad vllos etiamsi licitos concubitus descendere; quod tamen institutum vestium etiam post emissa vota permittit; quæ quem in modum conueniant, considerandum aliis relinquo.

At Ribadineira infelicius longe Toletanum quartum citauit. Sensus enim Canonis est: *Pronam omnem ætatem esse ab adolescentia ad malum; qua propter pueres aut adolescentes clericos in vno conclaui atrij cõmorari debere, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in Ecclesiasticis disciplinis agant, deputato probatissimo Seniore, quem magistrum disciplinæ, & testem vitæ habeant.* Paulo post: *Qui autem his præceptis resultauerint, Monasterijs deputentur, vt vagantes animi & superbi seueriori Regula distringantur.* Quod hic indicij quod vestigium votorum simplicium, & dimittendi illos qui ea professi sunt? non video profecto; nisi illud sit: Voluisse Concilium vagantes & superbos animos monasteriis deputari, vt seueriori regula distringantur; igitur Iesuitas hunc Canonem imitari, qui cõtumaces & superbos suos à votis absoluunt, ad sæculum dimittũt, quo liberius omni excusso iugo vagentur. Aut illud; Concilium habet; pronam ad vitia adolescentiam esse; propter ea puberes clericos debere in vno conclaui commorari, & probatissimum illis moderatorem dari; quam obrem imitari hunc Canonem Iesuitas, qui iuuenes professos suos ad vitia declinantes, e conclaui, e domo, ex ordine eijciunt, & mo-

Concilij Tolet. quartũ. c. 23. & 24.

moderatore defertus, mundo relinquunt.

Aquisgran. sub Ludouico Pio. c. 135.

Similia his Aquisgranense à Ribadineira citatum habet: *Ceream in vitium flecti iuuentutem, esse propterea adhibendum arbitrum vitæ, & disciplinæ magistrum, probatissimum Seniorem; vt eorum lasciua ætas nullum possit reperire locum, quo in peccati facinus proruat. Quapropter in vs custodiendis & spiritualiter erudiendis, talis à Prælatis constituendus est vitæ probabilis frater, qui eorum curam suma gerat industria, eosque ita arctissime stringat, qualiter Ecclesiasticis doctrinis imbuti, & armis spiritualibus induti, & Ecclesiæ vtilitatibus, decenter parere, & ad gradus Ecclesiasticos quandoque digne possint promoueri.* Dic amabo, quid hic commune cum Iesuitarum instituto? Quæsiuit Concilium vndique sepire iuuenes, ne elabantur, ne ad sæcularia redeant desideria, ne patescat locus ad peccata perpetranda: cum hoc Institutum votorum simplicium, discendi ianuam aperit, ad seculum eos redire iubet, sine cura, sine custode relinquit eos; restituit mundo, in quo infinita peccandi illecebræ & occasiones inuenientur; vt qui institutum votorum simplicium, & dimittendi consuetudinem religiosos in citato Canone inuenire voluit, somnium mihi somniasse videatur; illudque tantum a vero dictans quantum arctissimum aliquem constringere, quo in disciplina maneat, præuidere ei peccandi locum, alienum videtur esse à permittendo eidem liberam peccandi occasionem, eumque à disciplina professa eiiciendi.

Cauilon. n.

Cabylonensis Synodus Canone 3. iubet, *Constitui scholas, in quibus & literariæ solertia disciplinæ, & S. Scripturæ documenta discantur, & tales ibi eruditantur, quibus merito dicatur à Domino: Vos estis Sal terræ.*

At quid hæc quæso, ad morem, institutum, dimittendi professos religiosos? Quæ hæc amabo Topica? Debent scholæ constitui ad erudiendos Clericos; ergo religiosi professi eiici debent ex ordine, absolui à votis, cum Præposito generali visum fuerit. Ni mea me fallit Topica; tam belle & solide aliquis Deum in cœlo probaret esse, quod baculus in angulo constituatur.

Non hæc ideo à me prolata sunt, quod culpare velim laudabile institutum votorum simplicium, aut consuetudinem dimittendi a religione contumaces, rebelles, eosue qui nequeunt ad frugem vocari bonã: Nam si legislatores sancti decernunt, etiam vota sollemnia professos eijciendos, cum iam in profundum malorum peruenerint; multo quidem magis e ratione erit, simplicium tantum votorum reos eijcere. Sed hæc ingessi propterea, quod voluisset Ribadineira vestigium sanctæ huius consuetudinis dimittendi suos, tam infeliciter, prout monstratum est, in Concilijs inuestigare; cum in ordine Benedictino rem ipsam tenere potuisset, & ab ipsis fontibus veris riuum ipsum tantæ vtilitatis deducere: non veram, germanam, facilem, obuiam originem illius moris ostendere, sed falsam fictamque assignare; ne se inuentam illud à Benedictinis se accepisse fuissent fassi, vnà & illorum laudem, & suum agnouissent debitum.

Auctoris protestatio.

At enim vero, viguisse & votorũ simplicium, & dimittendi morem in Benedictina religione; si quis Congregationum Casinensi & Hispanicæ Ordinis Constitutiones examinet, facile inueniet. Ecce verba Congregationis Hispanicæ statutorum; impressorum Anno Domini MDLXXV. *Vt Donati Congregationis nostræ melius possint seruire Deo, & custodire stabili-*

Constitution. Cong. Hispan. c. 3. bilitatem in religione, ordinamus & mandamus A.R.P. Procuratori Romanæ curiæ, vt supplicet Sanctissimo Domino, vt facultatem Bullamque concedat; quatenus vota quæ emittunt Donati & familiares sollemnia sint; ita enim conuenit propter eorum stabilitatem, hæc ibi. Ante igitur quam Religionem S. Ignatius incepisset suã, vota istiusmodi Donatorum, simplicia non sollemnia fuerunt. Sic & vsus Congregationis Cassinensis ab antiquissimo deductus, habet, vt Donati, quos ipsi Patres, Commissos vocant, ad vota tantummodo simplicia recipiantur; expellantur dein, si contumaces euaserint, sublate eis omni recipiendi spe. Docent hoc ipsæ eius Congregationis Constitutiones in hæc verba: *Commissi vero nostri incorrigibiles, & contumaces, eo modo quo recipiuntur expelli possunt, sublata eis omni spe receptionis*: hæc ibi. Vide tamen ne propterea minus existimes illos aut esse aut haberi Monachos; nam statim atque ijs votis etsi simplicibus se astrinxerunt, & Monachorum veniunt nomine, & priuilegijs Congregationis gaudent. hoc etiam ab ijsdem Constitutionibus accipe. *Declaramus & firmiter statuimus Commissos nostros Fratrum nostrorum nomine censeri, & in eorum numero computari debere, qui nostris Priuilegijs inscripti & specialiter nominati, Gratijs, indulgentijs, & immunitatibus, sicut cæteri Monachi pleniſſime gaudent, donec in Congregatione sub obedientia vixerint, prout habetur in Priuilegio Eugenij Quarti.* Poterat igitur Ribadineira, ab his duabus præstantissimis Congregationibus falcius veriusque deducere praxin votorum simplicium, & eijciendi malæ frugis religiosos; Ignatium vero mutuatum fuisse hoc institutum à prædictis potissimum Congregationibus, vel inde colligitur, quod aliquandiu apud alteram Conuersus dicam, hæ-

Constitution. Cassinens. ad cap. 28.

Constitution. Cassinens. ad cap. 58.

ferit:

ſerit: ab altera mirum in modum in legibus ſuis condendis adiutus fuerit: vt facile propterea ſit & obuiũ ſuſpicari formam hanc, modumque votorum huiuſmodi & conſuetudinem dimittendi ſuos accepiſſe; illudque voluiſſe de Scholaſticis ſuis & coadiutoribus Ieſuitis obſeruari, quod in laudatis Congregationibus de Donatis, ſeu Commiſſis, viderat, expertuſque fuerat in vſu fuiſſe.

Et modus quidem emittendorum huiuſmodi votorum conuenit: vtrique enim, Ieſuitæ ſcilicet & Donati ſeu Commiſſi prædictarum Congregationum, priuatim tantum ianuis clauſis, in manibus ſuperiorum vouẽt; etſi in eo diſcrepantia ſit, quod Benedictina religio Commiſſos tantum ſeu Donatos ad iſtiuſmodi admittit profeſſionem, eos tantum dimittit, cum Ieſuitæ & clericos etiam & Sacerdotes eijciant, idque perquam facile, vt experientia docet; cum in Congregatione Hiſpanica ante annum MDLXXV. & Caſinenſi Congregatione perquam raro contigerit, vt quis eorum ab ordine eijciatur. Porro nec ea eiectio fit vnius hominis arbitrio, non vnius Abbatis præſentis nutu, ſed ad illius mentem, Seniorum omnium aut duarum partium Conuentus aſſenſio interueniat neceſſe eſt, vt cum vel in vna Prouincia plurimi ſint, qui ex albo Ieſuitarum electi fuerint, pauciſſimos tamen e ſuo gremio Congregationes prædictæ dimiſerunt. *Differentia dimiſſionis.*

Conclude igitur, Inuentum hoc dimittendi religioſos poſt vota ſimplicia, quod tantopere efferunt Ieſuitæ, tanquam vtile Eccleſiæ, Societati neceſſarium, Ieſuitis ipſis ſalutare, à Benedictina acceptum religione, Benedictinæ religioni deberi. Et hactenus de votis. Quid autem & quantum pro exercitijs ſpiritu *Concluſio.*

tualibus debeant etiam Benedictinis remittæ, latius infra definietur.

S. Ignatius Magnum Patriarcham Benedictum & Benedictinos Patres, in Apostolicis Missionibus, & docendis pueris imitatus est. Cap. VIII.

SIngularis Ignatii in Deum pietas, eximius in proximo amor fuit: hinc nullos vnquam labores, nulla pericula diffugit Dei amore aut ptoximi vtilitate. Vere Ribadineira habet: *Diuini amoris facibus arsisse eum, & erga proximos fraternæ dilectionis igne inflammatum fuisse. Vbique enim suæ charitatis argumenta, & cælestis incẽdij certa vestigia relinquebat, cum eius omnia consilia, studia, labores in Dei gloriam & hominum salutem referrentur & in eo vno consumerentur, vt vitia radicitus e christiana republica reuellerentur, virtutes, inscrerentur, conseruarentur, augerentur,* hæc Ribadineira. Igitur Ignatius cum totum ad proximorum vtilitatem se contulisset; inter alia magna, duo maxima expressit, quæ in Benedictina acceperat religione viguisse feliciter; quæque e summo proximorum emolumento videbat fore, ea erant: tenellam iuuentutem moribus & doctrina instruere ad virtutes Christiano dignas: & Fidem longe lateque disseminare.

Et quidem institutum hoc docendi pueros, ab ipsis religionis Benedictinæ incunabilis proprium Benedictinis fuit. Nam teste Gregorio Magno nomine, maximo auctoritate: Romani nobiles audita Benedicti fama, suos filios ei tradiderunt erudiendos: erudiendos inquam, non religiosa tantum disciplina, sed & doctrina, viro Ecclesiastico digna. Nam ecce tibi

S. Mau-

S. Maurus, alter Galliæ Apostolus, cum traditus fuisset duodennis puer Magisterio Patriarchæ nostri, tam insigni doctrina & scientia instructus prodiit, vt multorum nobilium liberi pietatis studiis ab ipso, aliisque Monachis doctoribus imbuti fuerint, sic Faustus eiusdem Mauri vitæ scriptor pro eo tempore non inelegans, ad tantam facundiam scientiamque in Monasterio, cui septennis traditus fuerat, sub ipso magni Benedicti ductu eruditus fuit. Ad eundem modum insigniter edoctus euasit Placidus, cum septenis in cœnobio, Deo & S. Benedicto traditus fuisset. Simili modo Leobardus ab eodem Patriarcha eruditus in Germaniam missus. Omitto alios Patriarchæ Benedicti alumnos, qui ab eodem insigniter edocti, & in multas orbis prouincias amandati, cum re monastica & literariam mirum in modum auxerunt & propagarunt. Omitto etiam insignem illum Gregorij Magni locum, quo tantus Doctor, qui Ildefonso teste, Augustinum sapientia vicit, fateatur plurima se à Fratribus didicisse. Profecto egregie illos oportuit doctos fuisse, a quo tantus Ecclesiæ Doctor, & indeficiens lumen edoctus fuit. Porrò non egrediar Vrbe Orbis capite, in qua floruerunt Cantorum scholæ, præsertim due: altera prope Lateranensem Basilicam: prope Vaticanam altera. Et quidem auctore Hormisda Pontifice Maximo, a magno Benedicto erectæ, & à sapientissimis Monachis, eius alumnis, (quibus & easdem Basilicas idē S. Pontifex concesserat) tum omnis literarum genere, tum sacrorum rituum eruditione pro Diuinis officiis celebrandis excultæ. Notissimum namque est ante tempora Patriarchæ in id potius incubisse Pontifices Romanos, vt fidem sartam tectam tuerentur & propagarent, quam vt ampliarent maiestatem sacrorum

Sub Benedicto multi in literis eruditi sunt.

Ex Ordine Romano. Vener. Beda. Anastasio Biblioth. aliisq.

tituum, seu sacrarum literarum studia Puluerulenti in arena stabant magni illi heroes & successores Petri aduersus paganismum & infidelitatem; decertantes potius ad abolendum theatralium, lupercalium, Circensium ludos, quam vt Ecclesiam eo decore & gloria, qua par erat, induerent. Cum autem circa beneficta tempora Sanctissimi Benedicti, iam ab his malis paululum respirasset Ecclesia, & super inimicos suos caput extulisset, tum quidem insonuit Hormisdę Papę tuba Euangelica magnus Benedictus, ad augendum Diuinum cultum ritibus & cerimonijs aptis erudiendum moribus & literis, scholis ad eum finem inductis. Hormisda igitur ipsum Patriarcham Benedictum & cum eo Monachos in Lateranensi & Vaticana (ne dicam in aliis Vrbis Basilicis & Ecclesiis) collocauit; qui eas scholas, quas Cantorum vocabant ibidem inchoauit primus, postea per orbem propagandas. Docebantur in iis scholis à doctissimis & religiosissimis Monachis, magistris Ecclesiæ Romanæ, modus & methodus componendi & enunciandi Diuinas leges, tẽpori & festiuitati accomodatas; docebantur Diuina mysteria, docebantur sacra dogmata; docebantur scientiæ, Ecclesiastico, eoque cuius Dominus pars est & hæreditas, dignæ; clerici inquam Basilicarii, qui & Monachi erant, atque pueri & adolescentes in iis scholis ad omnem pietatem, morumque & doctrinæ salutaris perfectionem erudiebantur; vt videre est in Summis Pontificibus Romanis S.R.E. Cardinalibus & Episcopis ordinatis in multis per orbẽ Ecclesiis aliisque viris Apostolicis, qui in iis scholis formati & enutriti, summa prudentia vniuersam Ecclesiam moderati sunt Summa Sanctitate cælum promeruerunt. Ex iisdem enim, Gregorii, Leones, Adriani, Stephani, Paschales,

Aga-

Agathones, Sergij Ioannes, Benedicti, Vrbani Alexandri, Agapiti, Pelagii, aliique primę Sedis Pastores magnanimi & prudentissimi prodierunt. Ex iisdē etiam innumeri, ijque magni nominis & Sanctissimi Præsules, atque Heroes Sacri, Patriarchæ, ipsius S. Benedicti alumni, qui Italiam, Galliam Hispaniā Germaniam Angliam, aliasque orbis prouincias, fide, literis, moribus informarunt. Quamobrem quod sic plurima ad eum modum laude, & præstanti fructu cæptū Romæ; postea per alias Orbis Ecclesias ptopagatum fuit; & Benedictini Ordinis Cænobia, non virtutum asceteria solum sed & sacratioris doctrinæ gymnasia facta fuere & domicilia Musarum. *Præcipua (inquit doctissimus vir Michael Mauclerus, bonorū scientiarū receptacula, fuisse Monasteria, aliaque pietatis sacraria, annalium Franciæ Scriptores, memoriæ prodiderunt; in quæ omnes doctrinæ auidi, & appetentes scientiæ liberalis se recipiebant, vt à Sanctis Monachis bonas artes, sacraque studia perdiscerent.* Et Ioannes Trithemius. *Erat hæc consuetudo Benedictinorum Monachorum celeberrima; vt scholæ in singulis pæne cænobijs haberentur; quibus non sæculares homines sed Monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatissimi; qui non solum in Diuinis scripturis docti essent, verum etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Musica Rhetorica, Poesi, & in cæteris omnibus sæcularis literaturæ scientijs eruditissimi haberentur: ex his multi non solum in Romana lingua docti erant, sed & in Hebraica, græca, & Arabica peritissimi; quod ex eorum opusculis facile dignoscitur.*

Benedictini per totū orbē scholas literarias tenuerat.

Mich. Maucl. Monar. tom. 2. p. 3. l. 8. c. 8.

Io. Trithem. Chronica Hirsaugien.

Trithemii testimonium cōfirmat Ansegisus Abbas, ante octingētos annos Scriptor, dum consuetudinem illam in Caroli Magni Cōstitutionibus præceptam re-

Ausegisus li. 2.

fert ijs verbis: *Carolus siquidem constituit in singulis Monasterijs & Episcopis scholas esse, vbi ingenuorum & seruorum filij, Grammaticam, Musicam & Arithmeticam doceantur.* His accedit Ioannes Mariana e S.I. vir eruditissimus.

Ioan. Mariã de puer. inst. lib. 2. c. 1. *Antiqua, inquiens, Benedictinorum Monasteria, scholæ publicæ erant ad iuuentutem erudiendam, a viris Sanctissimis constitutæ; vnde haud leuis publice vtilitas extitit; ipsi magnis diuitijs atque ingentibus creuerunt, omnibus certatim pios eorum conatus iuuantibus, re, opera, consilio. Ex his Monasterijs velut ex arce Sapientiæ innumeri viri prodierunt, vtriusque, Philosophiæ cognitione præstantes, Diuinæ atque humanæ; vti editi eo tempore ab eaque natione hominum libri multi & excellentes in suo quisque genere mirandi, argumento sunt.* Superius recensitis scriptoribus suffragatur Henricus Mutius, qui

Henr. Mutius Chron. fol. 160. de ijsdem Monasteriorum scholis ita testatur: *Ex illis scholis prodibant iuuenes modestia & timore Domini, humanitateque præditi; neque erat vllus nobilium, qui suos non tradiderit instituendos in has scholas, vbi præceptores vacantes lectioni, orationi & ieiunijs erant. Quam aliam putas esse causam tam bonorum Principum & modestissimæ nobilitatis, quæ fuerunt per aliquod sæcula? Nemo fere à Carolo Magno Principum fuit, qui non in Monasterijs educatus sit a puero.* Alibi etiam idem auctor, cum nomina eorum principum enumerasset, qui terræ sanctæ recuperandæ gratia, ingentem eo du-

Idem, Chron. li. 19. fol. 284. xerant exercitum, sic affirmat: *Hi omnes religionis amore suas maximas & pulcherrimas possessiones, suas vxores, charamqae prolem reliquerunt; magni profecto & suspiciendi animi fuerunt. Hæc vero animorum sublimitas debetur rectę puerorum institutioni fuerunt enim omnes non in stabulis equorum, & in voluptatibus carnis,*

sed

sed in Monasterijs, scholis Christianæ Reipublicæ saluberrimis, à S. Patribus in orationibus, ieiunijs, & salutaribus Euangelicæ doctrinæ præceptis instituti & educati.

Tales in primis habebant scholas Benedictinorum Monasteria Romana, Casinense, Sublacense, Farfense, Pomposianum, Turonense, Cluniacense, Aurelianense, Remense, Altisiodorense, Luxouiense, Theologiense S. Dionysij Parisiense, San Gallense, S. Maximini Treuirense, Mediolanense, Stabulense, Corbeiense, Augiense, Hirsaugiense, Prumiense, Hirsfeldense, Hildesheimense, Vvissenburgense; & cum innumeris alijs vnum Fuldense: Fuldense inquam, in quo Curione teste, Sturmius Bonifacij Moguntini nepos, quadringentos habuit discipulos omnium disciplinarum & professionum monumentis occupatos. *Curion. Chron. l. 2.*

Denique (vt alia huius generis omittam) in appendice vetusta ad Ingulphum Abbatem Croilandensem in Anglia, singulare huius & institutarum ordine scholarum, exemplum habes his verbis: *Transmisit Abbas Iofredus ad Manerium suum de Cotenhan iuxta Cantabrigiam, Gislebertum commonachum, & S. Theologiæ professorem, cum alijs tribus Monachis, qui secuti sunt eum in Angliam, Philosophicis Theorematibus, & alijs scientijs primitiuis instructissimi, quotidie Cantabrigiam adeuntes; & conducto quodam horreo publico, suas scientias palam profitentes, in breui temporis excursu, grandem discipulorum numerum contraxerunt: anno vero secundo aduentus illorum, in tantum accreuit discipulorum numerus, tam ex tota patria, quam ex oppido, quod quælibet domus maxima horreum, nec vlla Eccle-* *Appendice ad Ingulphum. Aub. in fin. chrō. Vvilhelmus Malmesmurien. Cantabrigēsis Acadē. Benedic. in Anglia.*

Aurelian. Academia in Gallijs Benedictina.

sia sufficeret eorum receptaculo: vnde diuersis in locis a se diuisi, & formam Aurelianensis sturdij secuti, summo mane F. Odo Grammaticus, & Satyricus singularis, pueris & iunioribus sibi assignatis legebat Grammaticam, iuxta Prisciani doctrinam, & Remigij in eundem. Ad horam vero primam, Terricus acutissimus Sophista, Logicam Aristotelis iuxta Porphyrij & Auerrois Isagogas & commenta adolescentioribus tradebat. Ad horam vero tertiam F. Vuilhelmus Rhetoricam Tullij, Quintiliani flores perorabat. Magister vero Gislebertus omnibus Dominicis diebus, & SS. Festis, verbum Dei ad populum pradicabat. Ex isto itaque fonte paruo, qui creuit in fluuium magnum, videmus nunc letificatam ciuitatem Dei & totam Angliam factam frugiferam per plurimos Magistros, Doctoresque de Cantobrigia exeuntes ad similitudinem Paradisi.

EKKeard. vita S. Notkeri c. 7. habetur to. 1. rerũ Alemanni carum.

At vero cum sic in clausttris primùm doceretur, nec capiebant ea copiosum tyronum numerum, qui ad Diuinos hos Magistros aduentabant; cęptum primo (ait EKKeardus) in ijsdem Monasterijs diuidere scholas in Claustrales & Canonicas, in quibus alteris Monachi, alteris sæculares discebant.

Cęterum ex hisce Monasteriorum scholis, earũque doctoribus Monachis, Academiæ fere omnes antiquæ per occidentem erectæ, originem suam habuerunt. Academiarum etenim institutio opus Benedictinorũ fuit. Nam Oxoniensem illi, Cantabrigiensem, Parisiensem, Patauinam, Ticinensem, aliasque quam plurimas vniuersitates erexerunt auctore in primis Carolo Magno Imperatore. Et sane qui non minus Martem quam Apollinem nouerat, Carolus Magnus, ex ijs debuit Sacrarijs Musas euocare, vt publicis hominum societatibus insereret: id quod testatur inter alios

Mi-

Michael Mauclerus, Doctor Sorbonius istis verbis: Carolus qui prælia Musis temperabat, & Geticum moderabatur Apolline Mattem, has musas scientiasque e Monasteriorum septis & claustris, in sæcularium Societates euocauit; & multis sui Principatus Regnique locis celebrioribus scholas publicas, ideſt, vniuersitates, Academiasque constituxit. *Mic. Mauclerus Monarch. t. 2. p. 3. l. 8. cap. 8.*

Verum enim verò, integrum enim & iustum opus postularet nobilissimum hoc argumentum, & quod nunquam satis pro rei dignitate posset deprædicari; & quidem merito. Nam cum tanta gloria sua & Orbis vtilitate id præstitissent Benedictini: S. Ignatius suique ad eos imitandos adiecerunt animos: sic tamen, vt vix vltro profiteantur morem docendi pueros à Benedictinis se accepisse, nisi aut ab hæreticis exagitentur; Aut viri aliqui graues, ait Petrus Ribadineira, & prudentes institutū hoc ea ex parte, quæ pueros attingit, & prima Grammatices Rudimenta continet tanquam nouum, & à religiosa grauitate alienum, minus probant, causasque petant. Quamobrem S. Ignatius Collegia instituit, & ludum literarium pueris aperiri iussit, suosque ea occupatione distineri, quę laboriosa & per molesta est, & abiecta in specie videtur, & non satis propria religionis. *Tum enim fatentur (ait idem Ribadineira,) Benedictum Monachorum in occidente parentem, pueros in cœnobijs, educasse, informasseque ad pietatem (in eum fere modum, quo Societas nostra quibusdam in Collegijs separatim nunc facit) sic Maurum & Placidum puerulos erudijsse, & in omni genere virtutum excoluisse & perfeciſſe.* Tunc agnoscunt inquam Iesuitæ consuetudinem eam diu antea tenuisse Benedictinos Monachos, & non pueros solum finxisse ad omnem virtutis laudem, sed etiam disciplinis, & omni *Pet. Ribadineira lib. 3. cap. 24.* *Idē ibidem.* *Vsus Scholarū à Benedictinis manat.*

ri scientiarum genere instruxisse, & Collegia quemadmodum nunc Iesuitæ habent, habuisse; in quibus docebant, quæ nunc Iesuitæ docent: sic ad Benedictinorum confugiunt patrocinium, eorum se exemplo defendunt, imitatores se profitentur virtutum auctoritate.

Iesuitæ, Benedictinis a docendo arcere conãtur.

Alius autem, (vt nuper vidimus in Salisburgensis Benedictinæ Vniuersitatis erectione oppugnant & opponunt se Benedictinis, inidoneos volunt eos, & a docendi munere abigendos. Ita enim in informatione, data Eminentissimo Cardinali Octauio Bandino bonæ memoriæ; & in nupera bonorum monasteriorum sperata restitutione asseruerunt. Quod vero spectat ad Vniuersitates erigendas Benedictinorum vestigiorum institerunt qui ijs alijsque in Latino Imperio, glorioso exemplo, & admirando fructu præluxerunt: vt eo magis mihi videarur admiratione dignum, tam acriter restitisse eos, ne Benedictini gymnasia erigerent: quid inquam resistunt? Imo illud forsitan, si non veniam prorsus, at excusationem aliquam videretur promereri, vt omnium in se admirationem, oculosque conuerterent soli. At enim vero, nedum opposuerunt se, sed & docendi munus eorum plurimi astruxerunt, ab instituto Benedictino alienum esse, illosque ad illud munus ineptos, & ab eo propterea arcendos. Hoc queror, hoc mihi in causa fuit, cur hęc ingesserim, de Benedictinorum docendi munere; vt videatur quibus auctoribus inuentum hoc instituendi pueros, & Vniuersitate debeant, reddantque gratias & amorem. Ad hæc enim non exemplum modo tam angustum, quo præluxerunt Iesuitis in hoc studio & studio Benedictini Monachi; sed & Collegia publica plurima & præstantissima

sima à Benedictinis Abbatibus erecta in eorum vsum ijsque concessa & data, eorum animos ducunt, trahuntque fortissime.

Porro Societas hęc Ignatiana ad hominibus benefaciendum nata; non satis habuit aut erudire ad scientias & virtutes iuuentutem; rudes primoribus fidei articulis imbuere, Christianum & Catholicum populum docere: sed & ad exteras nationes fidem aduehere, eamque in ijs seu plantare primitus, seu plantatam propagare: opus profecto nobile, ausus heroicus, facinus immortali tropheo dignum; facinus inquam glorioſum, quod plures ijs in cælis laureas, in terra laudes certissime peperit. At facinus profecto fuit, quod diu ante illos Benedictini Patres magno conatu ausi, infracto aggressi animo, euentu felicissimo absoluerunt. Nam quæ regio in terris eorum non plena laboris? quæ Europæ pars eorum non felix laboribus? imo non Europam tantummodo, sed in remotissimis orbis plagis fidem plantarunt, & strenue propagarunt. Ipsemet Sanctissimus Patriarcha Benedictus ad miraculum vsque doctus (doctrinam etenim illius, Gregorius inter mirabilia ipsius computat) circumiacentes populos ad fidem vocauit, purgauit Romanum agrum, & Vrbem Romam Campaniam etiam aliasque Italiæ prouincias Romanus, Mauruſque in Gallia: Leubardus in Germania egregie propagarunt fidem: Turibius, Euphemius, Exuperius, Venantius, Exuperantius, Adelphius, alijque quam plurimi, magni Benedicti etiam discipuli, Hispaniæ suæ prædicatione illustrarunt; illusque populos à paganismo partim, partim ab Arrianismo ad fidem reuocarunt: Laborauit in Sicilia Placidus, & ipse Patriarchæ discipulus:

S. Gregorius l. 2. Dialog. cap. 36.

In

In Africam quoque & Æthiopiam Monachi ab eō missi: Non Armenia, non Palestina, non Isauria Asiæ Regio, Benedictinorum eiusdem Patriarchæ discipulorum laboribus Euangelicis vacuæ fuerant. Sed ad Occidentem reuertor; in eosque Bauariam, Franconiam, Pomeraniam, Saxoniam, Vvestphaliam, Taxandriam, Hollandiam, Frisiam, Flandriam, Brabantiam, imo Germanicam, Alemanniamque totam, Boemiam, Suetiam, Gothiam, Daniam, Vandaliam, Hungariam, Slauoniam, Russiā Prussiam, Lituaniam, Poloniam, vide Benedictinis fidem debere. Quid Angliam, quid alias plurimas nationes ingero? quarum ad fidem conuersio, beneficium Benedictinorum fuit.

Consaluus Ferdin. nouostis l. 2 & 8. Martial. Fumæ histor. li. 1. cap. 2. Petrus histor. Iudic. p. 2. Honor. Philoppon. de aguigatiō. Buell.

Tam nobilis triumphus Benedictinorum de hæresi & paganismo deuictis, ad ea trophæa, easque laureas Ignatium, suosque acuit: hoc inde luculentius euadit, quod ibi primo inceperunt Ignatiani Sanctissimæ huic operæ insistere, vbi ijdem Benedictini proxime sudauerant. Anno enim MCDXCII. cū Typhis alter Christophorus Columbus nauigatione celebri detexisset occidentalem Indiam, quæ mox America dicta fuit, sequenti anno Bernardus Buelli Tarraconensis, & Monasterii Montisserratēsis Monachus, ob notissimā illius Sanctitatem & doctrinam, iudicio Catholicorū Regum dignus habitus fuit, & auctoritate Alexandri VI. Pontificis Maximi, Patriarcha Indiarum, Vicarius Summi Pontificis cum auctoritate Legati a latere munitus, vt cum alijs 12. Benedictinis Monachis, missionis huius socijs, in Indias destinaretur. Nouerant enim Summus Pontifex & Reges maximi, quæ fuerant decora, quæ magnalia Benedictini Ordinis, quæ felicitas in gentibus conuertendis; propterea, eos ad

immanes gentes, quæ ferina crudelitate humanas comedebant carnes, filiosque sacrificabant Idolis, miserunt. At quo fructu? quo successu? audi: In vna Insula quæ Hispaniola vocatur, centum septuaginta millia Idola confregit & combussit Buellius, e recto vbique viuifico trophæo Crucis; quod cum nec ferro posset nec igne læsi (impediente videlicet Beatissima Dei Parente) venerandum barbaris illis populis redditum est. Penetrauit dein in ipsa viscera Indiarum, confregit idola, templa destruxit, & infinitum populum ad fidem vocauit, Ecclesias exstruxit, instituit scholas monasteria exædificauit, Episcopatus erexit, vt merito Indiarum Apostoli primi, cognomentum meritus & adeptus fuerit: redijtque dein spolij deuicti paganismi onustus. Hæc de primo Indiarum Occidentalium Apostolatu Benedictino. Quod vero spectat ad Orientales Indias, haud quidem dubium, quin earundem partium idem etiã Apostolatus longe antiquior fuerit, quam cæterorum omnium Religiosorum. Nam cum Emanuel Portugalliæ Rex, Christianorum Principum primus illarũ portas aperuisset, & quam plurimas ipsius Indiæ regiones fædissimis Mahumetanorum atque Idolatriæ erroribus ac superstitionibus addictas Imperio suo, circa salutis annum decimum supra millesimum quingentesimum, adiecisset, illico factum est, vt agente etiam Iulio II. Pont. Max. qui tunc temporis Sedem Apostolicam gubernabat, ad Christi fidem propagandam, eas in partes, sacra mitteretur Doctorum Benedictinorum Colonia; vt fatentur rerum Lusitanicarum Scriptores. Quod si vtriusque Indiæ tam Occidentalis quam Orientalis Præcones Euangelici primi extiterint Benedictini, cur tanto studio Patres Iesuitę & dictis & scriptis & libris

Historici de reb. gestis Emanuel. Reg. Portugalli.

editis

editis, primum Indiarum Apostolum contendũt Franciscum Xauerium, (virum alioqui Sanctissimum, ac Apostolicis miraculis clarissimum) reuera me latet.

Collegia Benedictinorũ in Lusitania pro Missionibus Apostolicis.

Patres insuper nostri Lusitani in Collegio suo Goninbricensi, alijsque duobus etiam in eo regno erectis iuuenes enutriunt Monachos, qui ad eandem mittuntur trienniis singulis Indiarum expeditionem.

In oculis igitur Ignatii erant tantorum virorũ nusquam satis laudata virtus: in animo populi istius salus, in mente Apostolorum Benedictinorum labores in Euangelio; proinde eo promptior erat ad suos ad indos mittendum; vt incæptum à Benedictinis Apostolis, tam in Occidentali India, quam in Orientali Euangelicã prędicatione ipse etiam imitaretur. Magnus profecto, & plane Apostolicus Franciscus Xauerius, & cuius omne eloquium superant virtutes, cuiusque nũquam satis mirari possumus Sanctitatem. At non vnicus ille, non primus Apostolus Indiarum. Præcesserũt magno exemplo & fructu maximo, Patres Benedictini: vestigiis illorum institerunt Xauerius alijque: absoluerantque quod inchoauerant ijdem Benedictini. Vt sicut illorum Religio Benedictinam pro exemplari habuit ad Missiones suas conficiendas, sic eorundem Benedictinorum ausus animare poterant eos posteros, exemplum excitare, fructus attrahere, ad glorioßissimum illud iter magno animo aggrediendum, felici consummandum successu. Vide tamen, quod etiamsi Benedictinos Apostolos egregie imitatus fuerit Xauerius, non tamen præripuerunt ei Apostolatus nomen & gloriam (quod nonnulli faciunt) sed illorum vestigia premens, Coapostolus Indiarum, vt Occidẽtalium Boillius, ita Orientalium Xauerius meruit appellari. Vt Societas Iesu nedum Benedictinæ

Re-

Religioni exemplum Missionum, sed & Missionis insuper ad regiones illas exemplar Benedictinis Apostolis debeat. Patres insuper Lusitani in Collegio suo Conimbricensi, alijsque duobus etiam in eo Regno erectis, iuuenes erudiunt Monachos, qui ad eandem mittuntur triennijs singulis expeditionem.

In occulis igitur Ignatij erant, tanti viri nusquam satis laudata virtus, in animo populis istius salus, in mẽte labores Buellij in Euangelio: proinde eo promptior erat ad Xauerium ad alias Indias mittendum & incepta à Buellio in occidentali India, in orientali ipse perficeret. Magnus profecto & plane Apostolicus vir Franciscus Xauerius, & cuius omnẽ eloquiũ superant virtutes, cuius nunquam satis mirari possumus sanctitatem: At non vnicus ille, non primus Apostolus Indiarum, præcesserat magno exemplo, & fructu maximo Buellius; vestigij illius institit Xauerius, absoluitque quod inchoauerat ille; vt sicuti Ignatiana religio Benedictinam pro exemplari habuit ad missiones suas conficiendas; sic Buellij ausus animare poterat Xauerium, exemplum excitare, fructus attrahere ad gloriosissimum illud iter magno animo aggrediẽdum, felici consummandum successu. Vide tamen, quod etiamsi Buellium egregie imitatus fuerit Xauerius; non tamẽ præripuit ei Apostolatus nomen & gloriam, quod nõnulli faciunt; sed illius vestigia præmens, Co Apostolus Indiarum, vt occidentalium Buellius, ita Orientalium Xauerius Apostolus meruit appellari: vt Societas nedum Benedictinę Religioni, exemplum missionum, sed & missionis insuper ad regiones illas exemplar, Buellio debeat.

Bernardus Buellius primus Indiarum Apostolus.

Quia

Quæritur, cur S. Ignatius eo semper affectu & gratitudine fuerit ergo Benedictinam Religionem: & num gestauerit habitum Conuersorum Ord. S. Benedicti. Cap. IX.

DVm in doctissimorum quorundam & prudentissimorum virorum corona per id tempus essem, quo B. Ignatius Sanctis ascriptus fuit, incidit sermo de eiusdem rebus gestis, motibus, & sanctitate: Calculi omnium candidi, omnesque; plurimi erant in illius laudibus, admirabilem eum, Diuinum, cælitusque dilapsum hominem, multa prudentia, singulari virtute præditum asserentes: singulis singula laudantibus, nonnemo prosequi aggressus eximium illum, qui nobiliter in eo relucebat amorem erga alios ordines, religiosos piosque viros, cuiuscunque tandem fuerint conditionis; illud ex Ribadineira intulit: *Ex multis virtutibus, quæ in vita illius eminebant, iucundissimam fuisse acceptorum beneficiorum memoriam atque remunerationem, vt in ea rependenda gratia nunquam satis sibi fecisse videretur,* excurrit dein latissime per ea capita quæ superius dedimus, *nomine retulisse eum Sanctissimum Abbatem Enneconem, patriæ suæ tutelare decus; in serrati montis Cœnobio nouum hominem induisse, & eruditum fuisse ad eximiam perfectionem; simplicia in Monte Martyrum; sollemnia Romæ in S. Pauli, Benedictinis Cœnobijs vota emisisse; inde profectum in Casinum montẽ vt vniuersalis legislatoris hauriret spiritũ, Monachorum Casinensium consilio auxilioque in condendis statutis pro nouella sua religione, vteretur; transtulisse votorum simplicium, exercitiorum spiritualium vsum à Benedictina ad suam religionem; in docendis pueris, & Collegijs Gymnasijsque instituendis, instruendo populum, propagando fidem*

Ribadin. l. 5. c. 2.

fidem per exteras nationes, aliisque quam plurimis laude dignissimis consuetudinibus Benedictinos imitatum fuisse. Et hinc inferre voluit non mala vsurum coniectura, qui arctiori Ignatium erga Benedictinam Religionem ligamine astrictum fuisse, quam sæculares, aliique aliorum ordinum religiosi teneri assolent: imò voluit suspicari Oblatorum illum seu Donatorum Benedictinę religionis habitum apud Serratum montem gessisse, seu ex deuotione fuerit illud; seu vere eorum Iustitutum susceperit, aut ad illud aspirarit, varia varijs sententia fuit; at suam ille ad hunc modum contendebat roborare.

An non (inquit) *Orlandinus fatetur, festinantem eum ad S. Militiæ tyrocinium iter in Montem Serratum intendisse.* Acta deinipsius ex processu pro apotheosi illius facto, impressa Italico vulgari Romę, Latino Antuerpiæ, id idem affirmant. *Illa quidem ad Serratum montem asserunt contendisse, vt nouum in eo auspicaretur viuendi modum; & perexisse ad Monasterium Montis-serati Ord. S. Benedicti, Christo deinceps militaturum,* quid inquit hæc verba volunt, ad S. militiæ tyrocinium festinare, nouum auspicari viuendi modum, militari Christo in eo Monasterio? Euoluantur historiæ Sanctorum, & de induendo religioso habitu, de militando sub religiosa norma, de tyrocinio religionis dicta inueniantur. Ergo si habeamus ipsos Ignatianos totidem verbis fatentes illud; certo sciamus certius, Ignatium nouum hominem, & habitum in eo Cænobio induisse, & non instructum modo à religiosissimis illis viris Ioanne Clanone, & Michaele Fernerio, Monachis pænitentiarijs eiusdem loci; sed & postea dum Minoresse moraretur, (vt ex vita sermone Italico scripta à Paulo Bombino ex processu desumpta, edo-

Vita eius ex processu per Pau. Bobinum.

edocemur, *rediisse sapissime* (singulis 8. diebus dixerim) *montem Serratum, vt eidem P. Clanonio rationem minutam redderet eorum omnium, quæ in anima sua agebantur, & fauorum, quos liberali manu contulerat illi Deus.* Et hæc mens fuit doctissimi Patris Iepij inquietis. *Causa, mora apud Minoressam excogitanda fuit, vt vicinus esset Montesserratensi Virgini, vbi suæ erant delitiæ, & vnde animus & alimentum veniebant. Credo etiam si illud Ribadineira non dicat, Ignatium dum Minoressæ ageret, rediisse aliquoties, tum visitandæ Virginis ergo, tum communicandorum, quæ plurimum intererant animæ suæ, negotiorum cum Confessore suo.* Ita Iepius

Ant. Iepe enitur. 5. ad An. 888.

Quidni igitur inferamus; propterea tot tantasque pulcherrimas consuetudines à Benedictinis mutuatum illum, imitatum in pluribus, & relictis alijs opportunioribus, celebrioribusque locis, apud Benedictinos diuersatum fuisse, cum actus aliquis sollemnior exercendus esset, quod gestatus Benedictinorum habitus, primæque ab illis & sub illis haustæ auctęque disciplinæ sanctioris memoria, gratitudo, officium debitum ab eo id postulassent. Et hæc vt clarius intelligantur, obserua; *S. Ignatium cum in animo haberet mundo renunciare, adhærere Deo, nihil vltra cogitasse* (vt Orlandinus habet) *nisi vt (quoniam rudis eo tempore meliorē virtutis summam in corporis afflictione ponebat) quam acerbissime sese discrucians per id quam maxime Diuinæ Maiestati placeret. Nihil longius videbatur ei* (Mapheo attestante) *quā vt de cognatione, & de domo patris exiret, & præteritæ vitæ peccata quam acerrimè vindicare sibi liceret.* Hinc subibat animum præstantissimos quosque ex ijs quos legerat æmulari ausus in diuexando potissimum macerandoque corpore: sic enim illum loquentem introducit Mapheus: *Quid si præ-*

Orland. lib. 1. n. 13.

Mapha. lib. 1. c. 3.

Idē. c. 2.

cla-

clarum hoc S. Dominici, quid si hoc S. Franciſci, Deo fretus aggrediar? Hæc igitur prima eius Conſilia definierunt hæc mentem primam, quæ optime expleri poterant, ſi conſediſſet Serrato monte: nullibi enim felicius, aut ſpiritui carnem ieiunijs, aut ſpiritum Deo orationibus ſubijcere poterat.

Fateor equidem, iam tum à principio conſtitutum Ignatio Hieroſolymam proficiſci vt ſuperius laudati auctores conteſtantur; at illud, poſtquam abunde pœnarum ſibi inflixiſſet, abunde a rebelli corpore ſumpſiſſet vindictæ. Id his verbis atteſtatur Ribadineira: *Certe ab Ignatio nihil aliud conſtitutum eſt, niſi vt Hieroſolymam, vbi conualuiſſet proficiſceretur, ſeque prius flagellis, ieiunijs, & id genus aſperitatibus generoſa quadam indignatione conficeret.* Primum igitur corpus macerare propoſitum; proficiſci peregrè, in ſecundis erat. At iam cum totius à Clanonis nutu penderet, poſtquam peruenit ad Serratum montem, cum doctorem & inſtitutorem haberet, arbitrum conſiliorum, magiſtrum vitæ, (ei etenim ſua de vitæ ineũdæ ratione conſilia ex ordine patefecerat) non ita difficile perſuaſu eſt, Hieroſolymitanum iter voluiſſe illum, ſeu omittere ad Clanonis arbitrium, ſeu omiſſum reſumere. *Ribadin. l. 1. c. 2.*

Dein cum nouum habitum & hominem in ſacro eo Monteſerrato induiſſet, non ſtatim neque recta Minoreſſam contendit, ſed delituit Monaſterio alicubi vicinus, priuſquam proficiſceretur Minoreſſam; at quam diu? ſi verum exiſtat ſeptem menſium moras Minoreſſæ traxiſſe Ignatium, vt habet Garibaius, tum inquam 3. menſibus in Serrato monte conſediſſe dicetur: decem etenim menſes enumerant ab eius receſſu à Cœnobio ad inceptum Hieroſoſymitanum iter

e quibus tres in monte, ſeptem Minoreſſæ egiſſe fateamur oportet: eo autem tempore ſub magiſterio Clanonis commorans tyro deuotus, ad quantam perfectionem attigerit in tam ſacro monte, nemo eſt qui non videt.

De Donatis autem iſtius Cænobij hæc Antonius Iepius habet. *Octoginta eos aut nonaginta vt plurimum numero, pijs moribus, familia honeſta, in ipſo nouitiatu ſummo rigore probari à Magiſtro ſuo, qui eos exercitia ſpiritualia docet; plurimos ex eis deuotiſſimos, fideliſſimoſque cultores Dei, nonnullos tam humiles, tantoſque honoris & gloriæ contemptores, vt, cum illuſtri familia ſint, & muneribus glorioſis, & dignitatibus perfuncti, (plurimi enim e Francia, ex Italia, ab Hiſpania veniunt ad monaſterium, quod ſitum illud in confinijs iſtarum nationum) malunt nihil æſtimari in domo domini, & officijs humilibus inſeruire, quam Monachis profeſſis, aut Eremitis, etiamſi rogati annumerari: magnæ æſtimationis, iudicij, ingenij in Donatis Montiſſerratenſibus, plures fuerunt inſigni ſpiritu, conſilio, & experientia, in grauiſſimis negotijs peragendis,* hactenus Iepius.

Ant. Iep: centur. 5 ad An. 888.

Ad hæc; diſtinguenda ſunt duo genera oblatorum: Vnum genus eorum eſt, qui voto facto, ſe ac ſua omnia monaſterijs in perpetuum dicant & donant; miniſtrantes poſtea & ſeruientes Monachis: aliud genus eorum, qui etiamſi ſe monaſterio aut religioni obtulerunt, ſemper tamen ſui iuris manent, egredi monaſterio poſſunt, & aliud vitæ genus aſſumere; hi, aut in ipſo monaſterio viuunt, vt Salinguerræ pater & filius Marchiones Ferrariæ, qui monaſterio S. Nicolai de Littore Venetijs ſe donarunt: aut viuunt extra monaſterium, vt Ludouicus Cardinalis Fliſcus, qui iam Cardinalis Oblatus in Monaſterio

Ca-

Casinensi fieri voluit. Nihil igitur Ignatio derogo, si eum in vltima hac classe collocauerim, cum (vt ea omittam, quæ proxime ex Iepio retuli, de familia nobili, officijs, dignitatibus, splendore oblatorum; Reges ille, Principes, Cardinales socios habuerit, qui in eadem oblatorum serie reperiuntur. Non officit huic suscepto instituto petendarum Hierosolymarum desiderium; nam cum non vouerit illam peregrinationem, facile potuerit Clanone volente eam mẽtem deponere, aut saltem differre, quousque quod primum ei in votis fuit, domuisset aspera penitentia carnem, imò adhuc manens eiusmodi oblatus, ipsas potuerit Hierosolymas petere, prout feciſſe existimo.

Præterea nec Ignatio inuritur inconstantiæ nota, quod suscepturn vitæ genus deseruerit; cum non prius reliquerit illud, quam videret se ad altius vitæ genus, ad fundandum tam proficuum Ecclesiæ ordinem à Deo vocari: nemo vnquam Ignatium dabit accusatum qui e conuerso Benedictino, Iesuitarum Fundator, exire voluerit, de virtute in virtutem, de statu, in statum, imperfectiori ad perfectiorem transire; quod & factum ipso, vt facile creditur, inspirante Deo.

Habetis igitur inquiebat, quid existimem fuisse causa, cur tam eximium se cultorem exhibuerit Ignatius Benedictinæ religionis; sic amauerit eam feruenter, frequenterque ad illus Sacraria diuerterit; quod scilicet gestasset aliquãdo habitum illius, vixisset aliquandiu Oblatus illius, (vt talis Oblatus qualem descripsi superius) qui cum in eo Instituto vixisset, postea discessit. Quod & ab alijs aliquoties legimus factum; at tum demum ab Ignatio, cum maior Dei gloria illum ad al-

tiora & perfectiora inuitaret attraheretque.

Eccl.9. *Orland. l.1.n.31.* Quod si autem veritate sua non destituatur, quod S. Scriptura habet: *Amictus hominis annunciat de illo;* non in totum aberrauit a vero: *Indumentum enim Ignatij* (vt testatur Orlandinus) *duplex amiculum fuit, è crasso panno, coloris cinerei ruffescentis, & ex eodem confectum pileolum*: At hic ipse ipsissimus Oblatorum Hispanicæ Congregationis habitus est, qui ferruginea veste, quæ ex ruffo & nigro componitur, incedit. Quinimo & ex veteri more, ijdem oblati gestant pileolum illum etiam ferrugineum, quem Orlandinus Ignatium detulisse scribit; & collare subuculæ non extra sed intra collū plicatum, eodemque plane modo, quo Ignatius postea & eius sectatores: & morem istum vestis ferrugineæ ab Hispanis Benedictinis acceptum, Ignatius suis tradidit; illique per multa eum tempora obseruarunt; & etiamnum inter alias Sancti eius reliquias, vestem hanc ferrugineam Romæ, in domo professa custodiunt & ostendunt. Et hoc optime intellexerunt Romani Iesuitæ, qui cum Conuersionem S. Ignatij Montisserrati factam in scena exhiberent; eundem Ignatium ipsissimo habitu Oblatorum Hispanię indutum exhibuerunt; sic adamussim integer ipsius Sācti habitus eorundem Donatorū indumentum referebat. Imo intellexit etiam hoc Reuerendissimus Generalis eiusdem Societatis Mutius Vitelescus, qui (vt mihi à fide dignis testibus narratum fuit) votiuam Tabulam seu imaginem ad Montisserratense Cœnobium Anno C. MDCXXV. transmisit; in qua ipse S. Ignatius genuflexus coram Beatissima Virgine habitu Oblatorum, seu Donatorum Hispaniæ Benedictini Ordinis depingebatur: Ita apud Iesuitas in confesso est, Fundatorem suum incessisse

S. Ignat. Oblatorum habitum testantur Iesuitæ.

olim

olim Benedictinorum indutum habitu.

At Orlandinus id factum asserit amicorum impulsu quod hiems asperior sæuiret: Quasi vero Orlandino ea esset cura, vt in gestis Fundatoris sui referendis, Benedictinæ Religioni debita gratia referatur: an non ea mihi in manibus querela est, diffugere illos passim memoriam, vt gratitudo postulat, beneficij à nostris accepti. Et vt Orlandinum præteream, iam in manibus est vita S. Ignatij ex ipsis, vt titulus est processibus pro Canizatione, quæ ne semel quidem aut S. Benedicti, aut religionis ipsius mentionem iniecit. Et (vt illud per transennam hoc loco dicam de ipso libro) licet titulus illius habeat, extractum eum ex ipsis authenticis processibus; multo tamen magna, si non maior pars ex historijs Orlandini, Ribadineiræ, & vitis antiquioribus S. Ignatij desumpta est: & nedum non habet omnia ex ipsis processibus extracta, aut in ijsdé probata, sed & aliquid quod mihi constat in ipsis reprobatum fuisse. Nam testis est mihi Deus quod non mentior, penes me ipsa ipsissima imago est, illius apparitionis, qua Deum Patrem asserant Filio suo commendasse Ignatium, Christumque baiulantem crucé dixisse Ignatio: *Ego vobis Romæ propitius ero*. Penes me, inquam, ea ipsa imago huius miraculi est, quam à Doctore quodam Theologo, viro probo & docto, ac optime vitæ ac fidelissimo cuidam Cardinali Romæ dono oblatam, idem Eminentissimus non respuit modo, sed pæne reiecit, subinferens. Apage hanc Imaginem? Nam miraculum hoc reprobatum fuit. Viuit adhuc idem Eminentissimus Cardinalis; viuit idem Doctor Iesuitis notissimus & amicissimus, a quo hæc accepi: quod vel inde demonstres verum non esse, quia relatio in Consistorio secreto habita à Cardinali

Orland. lib. 1. nu. 31.

Vnũ S. Ignatij miraculum reprobatũ.

de Monte, miraculum illud non habet; sicut habuisset indubio, si genuinum illud fuisset probatum: genuinum, inquam, probatum: nam quod genuinum fuerit, etiamsi tale non potuerit probari, non tam difficile creditu. Multa enim sunt, quæ cum vera sint, talia probari non possunt: Imo nec ipsi Iesuitæ in libro vitæ ipsius Ignatij, ex processibus (vt prætendũt) desumptę, illud à processibus, sed ex historijs suis depromptum aiunt. Alia eius generis pertranseo, id solum obseruans in præsentiarum, Iesuitas egregie nobis palpum obtrudere, dum librum maiori ex parte, ex priuatis suis historijs, & vitis à se scriptis desumptũ, tanquam ex authenticis extractum processibus euulgant & venditant. Immo quod adhuc lepidius est. Panormi, in Ecclesia Domus professæ Iesuitarum, in Capella S. Ignatij, ad altare visitur huius eiusdem miraculi imago, atque adoranda proponitur. Præter id, adhuc per me cæpit admiratio vidisse in altera Collegij Ecclesia, eorũdem Patrum Iesuitarũ etiam Panormi, idque sacris altaribus impositam, imaginem Hérici Garneti spicam manu tenentis. Quibus exemplis (vt cætera eiusmodi nunc omittam) videant illi, qui hæc & similia miracula imaginibus expressas, atque altaribus appositas inquirere debent, quo Religionis specimine, aduertent facile qui norunt, nihil exponi debere venerandum populo & colendum præsertim in locis sacris, ac Deo dicatis, vt Sanctum, vt verum, vt miraculum, quod tale esse, prius ab Ecclesia atque Summo eius Pastore probatum non fuerit. Sed procedamus.

Cum igitur, memoriam illi quantum possunt, beneficiorum à Benedictino Ordine receptorum diffugiant; mirum non debuit videri, si Orlandinus, pro-

pte-

pterea dicat Ignatium eo indutũ habitu, quod hiems asperior esset. Sed scire peruelim, qui illi amici, qui id Ignatio persuaserint? an vlli Ignatius se regendum potius permisit, quam Confessario suo? at ille P. Ioãnes Clanonius Benedictinus Monachus erat: annon sæpius, vt supra dictum est, Ignatius ad montem serratum redijt ad Confessarium suum, vt animæ suæ statum ei patefaceret, gratias à Deo acceptas narraret? Si igitur arbitrum deposcebat Monachum hunc suarum actionum, si illius consilio regebatur, cur non dicamus illius factum arbitrio & auctoritate, vt Ignatius induerit eum habitum, cum ille habitus Benedictinorum fuerit? & cuiuis procliue est sibi persuadere Benedictinũ fuisse Monachum, qui vestem sacram in Benedictina religione gestari solitam Ignatio gestandam dederit. Nec ipsa verba Orlandini contra nos tam acriter videntur facere, vt commodam non admittant interpretationem: nam si amicorum impulsu, suasuue, eam vestem assumpserit, assumptam quis dixerit eam Ioannis Clanonij hortatu; cum inter præcipuos amicorum Ignatij iure is computetur.

Tandem cuiuscunque suasu ea se Ignatius vestiuit veste, constat eam Benedictinæ religionis fuisse; vnde quiuis inferre potest, non assumptam propterea, quod sequiret hiems, (ei enim depellendæ alia indumenta inseruijssent, & commodius forsitan) sed ex amore & veneratione erga magni Patriarchę & religionis Benedictinæ habitum, in quo statuerat militare Deo. At dices; Si Donatus ille, cur non initio Cõuersionis, sed post multos menses habitum Donatorum assumpsit? Responsio facilis: eiusmodi Donatos non semper, aliquando tamen, imò sæpius habitum religionis gestare, sic S. Ignatius, etsi non initio (quod

mihi certo non constat) cum habitum gestauerit, postea tamen Clanonis eum consilio induit.

Porro non leue ad hæc astruenda momentum habet, quod certissima traditum & acceptum fide subiungo. Aderant ante annos aliquot Romæ Hermagoras S. Pauli de Vrbe, Angelus Cauensis, Gregorius Caranensis Theodosius Mesanensis, Abbates, alijque & Abbates & Monachi Casinensis Congregationis; cum Simplicius Caffarettus tum Casinēsis Monasterij Præsul; postea vero totius Congregationis moderator summus, vir pietate, doctrina, & fide dignissimus, hæc referret: *Cum* (inquit) *Ignatium teneret amor sacra loca Hierosolymitana visendi, Minoressa, Monteseratoque discedens, Barcinonam primo, mox Caietam, Romam deinde transiens, Florentia iter habuit (agebatur tū annus reparatæ salutis MDXXIII. quo misera Italiæ facies erat) Florentiam appellens, pro vagabundo, seu exploratore capitur, abducitur, quæstioni mox subijciendus quid hic Ignatius? ad solitum asylum fugit, ad Benedictina, inquam, Religionis patrocinium; vt vnde documēta spiritualia hausisset, corporis inde liberationem hauriret. fatetur igitur oblatum se & Donatum monasterij Montisserratensis Ord. S. Benedicti; & felici illo, totiesque ei probato clypeo, infesti satellitis ipsum ad tormenta rapientis conatus eludit. Nam audito Benedictino nomine Religionis, iubetur a Magistratu Florentino dimitti, & ad Abbatiam S. Mariæ Benedictinam, quæ Florentiæ sita est, vna cum Monasterij Abbate, Benedicto Nouarensi, qui tum præerat, & qui pro eo comparuerat aduocatus, remitti: eo autem cum aduenisset, facile causam Abbati probauit suam. Nam humanissime primum susceptus, liber protinus dimittitur.* Hoc, inquam, retulit Reuerendissimus ille vir, Dominus Caffarellus;

Simplicius Caffarellus Abb. Casin. de S. Ignatio.

lus; quod aiebat à senioribus Cœnobij eiusdem Florentini, fide digna se accepisse relatione; vt sicuti de fide ipsius, ita de facto ipsomet nemini posset subesse dubium. Et profecto si Ribadineiræ, si Mapheo alijsque eius Societatis scriptoribus abunde suffecit ad astruendam fidem, referre ea, quæ aliorum didicerant relatione; & mihi satis erit hæc tanti viri, quantus Dominus Abbas Caffarellus fuit (quem Ribadineiræ, Mapheo, Orlandino, oppono facile) retulisse fide. *Ribad. l. 1. c. 16.* Quod autem huius expresse non meminerit Ribadineira, nil officit; nam rationibus huius quas ex superioribus Lector colliget, adiungenda illa, fateri Ribadineiram in præfatione ad S. Ignatij vitam, non omnia illius gesta scriptis se consignasse; & illud implicite innuere dum ait: *In eo itinere, quod Roma Venetias habuit, multa aspera, & acerba tulisse.* Igitur omissis ab eo auctore, hoc vnum, quod mox retulimus, annumera.

Adde testimonium Mathei Laureti, monasterij Montisserratensis professi & Abbatis quondam S. Saluatoris de castro Castellorum, vallis Siciliænæ, in prouincia Aprutij; quique Ignatium nouisse poterat: Hic enim sæpius mihi retulit se accepisse ex Ioanne Clanonio magistro S. Ignatij, *Ignatium in habitu Benedictini Donati apud Montisserratenses monachos versatum fuisse.* Et demum dum hæc scriberem, peruenit ad manus meas libellus quidam, cui titulus: *Considerationes proponendæ Amplissimis Dominis Consilij priuati, suæ Maiestatis Consiliarys, in causa libri nuper editi à R.P. Abbate S. Andreæ prope Brugas,* in cuius paragrapho quadragesimo sic habetur: *Respondetur, D. Abbatem S. Andreæ scripsisse, magnam partem spiritualium exercitiorum à Benedictinis hausisse Ignatium, habituque Laicorum vestitum, fuisse illum, ex relatione cuiusdam religiosi, qui in Monasterio Montis-* *Hēricus de Zippe in considerationib. cōt. Iesuitas.*

serra-

rrati professionẽ emiserat,& retulerat traditionẽ monasterij sui: & partim etiã ex narratione alterius viri docti, qui similiter in Hispania inter Benedictinos professus, cohabitauit vni monacho seni, centum trium, vel quinque annorum, qui vidit S. Ignatium in illo monasterio agentem.

Hæc igitur sunt, quæ magni viri, qui vel ipsimet viderunt, vel audierunt ab ijs qui cum Ignatio conuersati sunt, de gestato Benedictino habitu, & de suscepto à S. Ignatio Benedictino instituto; potissimum vero de amore & gratitudine, quam Sanctissimus ille vir ostendit perpetuo erga Sacratissimam Benedictinam Religionem; propter haustas in illius Cœnobijs primitias spiritus & perfectionis; vt propterea præ alijs omnibus aliarum Religionum Sacrariis, nostra Benedictina elegerit, cum sollemnissimi actus sui faciendi essent. Nõ intuli, vt aliquid gloriæ viri Sãctissimi, quod abhorret animus detraherem; sed vt videant Iesuitæ, a quãto Patre immensum degenerent, si Benedictinũ ordinem amare, colere, recolere accepta ab eo beneficia, grato animo, memoria gratissima, non persistant.

Magister Fr. Dominicus Grauina, ex Sacro Prædicatorum ordinem, vir pietate, & doctrina clarus, in opere suo dicto, Cognominata Vox Turturis, cap. 10. de Exercitiis Spiritualibus per S. Ignatium mutuatis à Garcia Cisnerio Abbate Montis Serrati, pertractas, de sequenti libro ita scribit.

Sed quia (præter R. D. M. Antonium Scipionem supra citatum) id Luculenter ostendit in quodam opusculo M. eruditissimus, & sapientissimus, ac Reuerendissimus D. Abbas Constantinus Caietanus, non opus est in Syluam ligna ferre, cum hęc ab ingenio sint occupata meliori.

Laus Deo Beatissimæ Virgini, SS. Patriarchis, Benedicto, & Ignatio.

Et exultabit lingua mea iustitiam tuam; Deus.

DOMNI CONSTANTINI ABBATIS CAIETANI VINDICIS BENEDICTINI,

De Libello exercitiorum S. Ignatij, siue S. Enneconis Fundatoris Societatis Iesu, ab Exercitatorio Venerabilis serui Dei, Garciæ Ciſnery Abbatis Benedictini, magna ex parte desumpto.

LIBER POSTERIOR.

QVantum vtilitatis & incrementi obuenerit Reipublicæ Christianæ ab exercitijs illis, quæ S. Ignatij circumlata nomine, Spiritualia dicuntur, apud omnes compertum. Quo autem ea scripserit tempore, cuius vestigia presserit in elucubrandis illis, non vsque omnibus notum. *Tempus.* Vtilitatem eorum & emolumentum, vel ipse titulus suadet, dum ea Exercitia spiritualia vocat, methodum videlicet exercendi spirituales viros ad ea, quæ verè spiritus, verè Dei, verissimè Diuina sunt. *Vtilitas.* Quid salubrius homini seipsum exercenti aduersus potestates aereas in hac palæstra mundi,

di, quam mundi, dæmoniſque internoſcere fraudes? quid vtilius, quid pulchrius, quid Diuinius quam ſeipſum, quam Deum noſcere & contemplari? Hoc illud vnum eſt, quod magnum illud lumen Auguſtinus (de quo Voluſianus cum ad Antiſtitem Auguſtinum venitur, legi Dei deeſt, quicquid contigerit ignorari) tanto feruore poſtulauit à Deo; *Nouerim*, (inquit) *te Deus meus, nouerim me*. His igitur exercitijs eruditur homo ad eas omnium ſcientiarum maximas, pulcherrimas, & ſaluberrimis fructibus fæcundas. Hac ſchola vtilitas ſui edocetur, charitas proximi, contemptus mundi, & feliciſſimus amor Dei. *His exercitijs*, (vt P. Ribadineira habet) *Societatis Ieſu Inſtitutio, progreſſus & ornamenta debentur*: ea, cænobia referſerunt, religioſos viros labantes in ſuſcepto vitæ Conſilio confirmarunt, ſolutos, vagoſque vinculis diſciplinæ ſeuerioris aſtrinxerunt: & omne hominum genus, ſtatus, officium, ætas, viri cum eccleſiæ, tum ſæculi principes, & infimi homines, docti, indocti, mariti, cælibes, iuuenes ætate, ac ſenes, Deo iam dicati, ac omnino liberi, in hanc meditationem exercitiorum ingreſſi, multum vel in perditæ vitæ emendatione, vel in bonæ incremento, progreſſus fecerunt. Cum igitur tanta eorum, & merito, laus exiſtat, hic breuiter licuit diſquirere, num, & quando S. Ignatius ſcripſerit ea, quam idæam, quod exemplar habuerit in ſcribendis illis: & demum, an non contemnendam eorum partem ab exercitatorijs Garciæ Ciſnerij Abbatis Benedictini ſumpſerit: præſertim cum caueæ ſtructor, de quo ſuperiori libello, fabellis annumeret, S. Ignatium illa partim didiciſſe in monte ſerrato, partim vſu & exercitatione ea annotaſſe.

Voluſiã. Ep. 2. apud Auguſt.

Quo tempore, & loco S. Ignatius scripserit exercitia spiritualia. Caput I.

COmmunis omnium ea vox, exercitia spiritualia, ea forma & methodo, qua visuntur hodie à S. Ignatio composita fuisse Ignatiani autem id factum volunt, dum Minoresiæ hæreret. Sic Ribadineira: *Hoc eodem tempore* (scilicet dum Minoresse esset) *exercitiorum librum, quem appellant, ex accurata eorum, quæ sibi contigerant, obseruatione conscripsit.* Et latius, pleniusque in vita Hispanicæ ab eo scripta; *Hoc eodem tempore* (Minoresiæ commorans) *eo quo, vt diximus, instructus erat literarum apparatu, qui legendo tantummodo & scribendo definiebatur, scripsit libellum, quem exercitia spiritualia vocamus, excerpta potissimum ab experientia, ad quam attigerat; & diligenti, accurataque consideratione, qua obseruabat omnia, quæ sibi contigerunt. Qui liber tam plenus est documentorum & subtilitatis in disciplina spirituali, & tam admirabili ordine conscriptus vt clare pateat, charisma Diuini spiritus docuisse eum, & defectum studij doctrinæque suppleuisse.* Et Nicol. Orlandinus de eodem Minoresiæ agente tractans, aserit. *Illum partim ex eo, quod suo ipse vsu, & quotidiana obseruatione notarat; partim ex eo, quod Diuino illo Institutore didicerat, salutarem quandam orandi scientiam & meditandi, velut artem effecit, quam indies magis ac magis aucta, locupletataque ad similitudinem exercendorum corporum, exercitia spiritus appellauit.* & paulò post: *Neque omnino, sine tempus quo condita sunt ab homine literarum prorsus experte, dubitare fas sit, quin opus fuerit humano maius, & planè æternæ mentis inuentum.* Ioan. Petrus Maffæius de eodem ibidem loci versante narrat; *ex ijs, quæ partim cælesti*

Ignatianorum Sententia

Ribadin. l. 1. c. 8.

Orland. l. 1. n. 23.

Ioan. Pe. Maff. lib. 1. c. 8.

A verbo concinũt &c. vsque ad celesti adscript⁹ est, adde ad fac. 41. post verbũ patefecerat. lin. 18.

cœlesti magistro dictante perceperat, partim etiam ipsemet experiendo cognorat, de fructuosa ratione meditandi orandique præclaras obseruationes, & saluberrima præcepta conscripsit. Qui liber, vt antea dictum est exercitiorum spiritualium titulo, tempore procedente deinceps ab eodem auctus atque recognitus.

Abb. General & Abbat. Congreg. Lusitanicæ Ord. S. Ben. c. 4. Prologom. ad Constit. suas.

Concinunt itidem Abbas Generalis, cæterique Abbates Monasteriorum Benedictinæ Congregationis Regni Portugalliæ in Præfatione ad suas Constitutiones. Scribentes namque de Monasterio Tibanensi, in quo Reformatio Ordinis Benedictini in eodem Regno Portugalliæ incæpit, sic affirmant. *Cum enim Ioannes III. Commendatarium illius creasset virum egregium, Fr. Antonium de Saa, Monachum Montis Serrati, Lusitanum tamen, in Oppido Mogadouro natum, capit hic Monasterij sui Reformationi incumbere: Dormitoriumque construens ad Nouitiorum educationem, duodecim Monastico habitu induit anno 1535. quibus Magistrum præfecit obseruantissimum Monachum, Fr. Ioannem de Chanones, natione Gallum, & à prædicto Montis Serrati Cœnobio accersitum, qui in eo antea B. P. Ignatium de Loyola instruxit, & à confessionibus extitit, cum depositis iam armis militiæ terrestris, cœlesti adscriptus est.* Hæc illi. His accedit Auctor vitæ S. Ignatij, qui Paulus Bombinus fuit, quam à Processibus volũt editam, sic habet: *Admirabile profecto est, ipsum cum prorsus in suo vulgari Idiota affatto idiota esset, & qui legere tantummodo & scribere sciret, composuisse in ea sotitudine (Minoressæ videlicet) diuinum libellum exercitiorum spiritualium.* & Iulius Nigronius in Ascæticis: *Vt redeam,* inquit, *ad libellum P. Ignatij, intelligant Nouitij, compositum ab eo, scriptumque fuisse anno illo, quo Minoressæ, vulgò Manresam dicunt, commoratus est, in*

Auctor vitæ S. Ignatij, ex proces.

Iul. Nigron. Ascet. tract. 6. c. 4.

quo-

quodam quasi spirituali secessu ac pœnitentiæ carcere voluntario meditans, atque in seipso experiens per annum plus minus illum secessum mitiorem, & exercitia breuiora, quæ nobis postea relinqueret. Et Paulo post: *Qua in re summa admiratione dignum videtur, quod cum scriptus esset à milite rudi, necdum vllis doctrinis exculto, solidam tamen sapientiam spiritualem ac Theologicam contineret.* hæc Nigronius. Sic igitur communis scriptorum Societatis vox, mens communis, S. Ignatium literarum rudem, Diuina tamen adiutum vnctione, edoctum experientia, scripsisse eum exercitiorum librum, dum Minoresſæ commoraretur.

Authoris sententia.

Hic ego plurimus eram, vt memetipsum inducerē, ad fidem iis perhibendam, sicut & libentissime & sponte propero ad credenda ea, quæ ad tam admirabilis & sancti viri honorem faciunt. Sed Orlandinus primam & moram & remoram iniecit; sæpius enim hic ab Ignatio scripta exercitia illa dum Minoresſæ ageret, vt postea magis ac magis aucta & locupletata fierent, significare visus est, aut exiguū fuisse illud, quod ibidem conscripsit, aut longe minus hoc ipso quem tenemus libello. Et hæc suspicio altiores longe radices egit, cum in Bulla quadam Pauli III. de qua inferius, legissem: *Exercitia spiritualia ex sacris scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita fuisse.* Non enim Summus Pontifex ad miracula, ad reuelationes, ad cælitus dilapsum numen, vt prædicti scriptores, sed ad experimenta recurrit, & Scripturæ sacræ cognitionem, quam non ita magnam habuisse Ignatium per ea tempora, mox patebit. Res dein clarior multo & firmior visa, cum in eam Epistolam incidissem, quam Ioannes Polancus S. Ignatio ab epistolis & secretis, loco præfationis præposuit exercitijs anno Domini

Bulla Cōfirmatoria exercitiorum.

mini MDXLVIII. ipso viuente, vidente, & approbante Ignatio. Nam clare in ea epistola profitetur, Ignatium tractandorum animorum vsu edoctum, exercitia scripsisse, nemo tamen probauerit mihi, tot eum animas instruxisse, erudijsse, meditationibus perpolijsse, dum Minoresę ageret; vt ex vsu & experientia tractandi illas, artem conficere, libellum inquam conscribere, eumque peregregium & eruditum de ijs regendis & dirigendis. Cum autem in epistolam quādam incidissem, quam Petrus Ribadineita ad Franciscum Gironam, eiusdem Societatis exarauit, haberuque apud Antonium Iepium, tum demum eam indumentem, exercitia hæc nequaquam à S. Ignatio hærente Minoresæ conscripta. Sed antequam ad vlteriora procedamus, hic tum Ribadineiræ damus epistolam, tum Iepij historici Benedictini, ad eandem responsum.

Epistola Ribad. apud Iepium, in Chron. Benedic. ad ann. 888.

Petri Ribadineiræ epistola, cum responsione ad eam, facta ab Antonio Iepio. Caput II.

ANtonius Iepius, nobilis historicus, acturus de Asceterio Serrati Montis, non tam sua coniectura nisus, quam communi Benedictinorum Montiserratensium potissimum traditione, & sacri montis consuetudine, in animo habuit posteritati tradere, S. Ignatium tum demum exarasse libellum exercitiorū, cum Hierosolymis redijsset; Minoresæ vero Garciæ Cisnerij Abbatis Montis serrati exercitatorio vsum fuisse, tum ad suam, tum ad aliorum, si qui aduentassent instruendam vitam. Cum pluribus dein Iepius hanc suam opinionem conferens, vniuersos habuit fautores sententiæ suę. Tandem vero cum res ad Pet. Ri-

Mēs Iepij.

Epistola Petri Ribadineiræ.

Ribedineiram delata fuiſſet, in hęc verba ad Franciſcum Gironam Conſodalem, Rectoremque Collegij Salmantici literas dedit, tenore ſequenti.

Acaban me de dar la de V.R. de 14. de Abrli, y aunq̃ eſtoy bien occupado, y canſado, reſpondo luego, por haẑer lo q̃ V.R. me manda, y me pide en nombre de eſſe Colegio, a quien, yo tengo tan particular aficion. Lo q̃ el Padre Fray Antonio de Ỹepe diẑe, y quiere eſcriuir, o imprimir acerca de los exercicios de nueſtro B. Padre Ignacio, es coſa anigua, y muy recibida entre los Padres de nueſtra Señora de Monſerrate, y ha muchos años q̃ vn padre de aquel ſagrado Conuento, llamado Fray Iuan de Lerma me lo eſcriuio, fundado en algunas de las raẑones, q̃ diẑe el padre Fray Antonio de Ỹepes. Lo q̃ a mi me parece ſon dos coſas, la primera, q̃ es coſa muy prouable, q̃ nueſtro B. Padre Ignacio aya tenido noticia en Monſerrate del libro, o exercitatorio de Padre Fray Garcia de Ciſneros, y q̃ a los principios ſe aya aprouechado del, para ſu oracion, y meditacion, y q̃ el padre Fray Iuan Chanones le aya inſtruydo, y en Senado algunas coſas del, y tãbien que aya llamado al libro, q̃ deſpues compuſo, Exercicios Eſpirituales, tomando el nombre del libro, ỏ Exercitatorio del Padre Fray Garcia. La ſegunda coſa, es que el libro de N.P. es muy diferẽte del del Padre Fray Garcia, porq̃ anuque en el vno, y en el otro materialmente ſe tratan algunas coſas, q̃ ſon las miſmas, pero ſon muy diuerſas en el modo, y forma de tratarſe. Por q̃ primeramente de las coſas mas principales del libro de los exercicios de N. Padre nò ay palabra en eſte otro. Del examen particular, tiempos, y adiciones, para meior haẑerlo, los puntos, y modos de las eleciones, las reglas de diſcernendis Spiritibus, ni las otras q̃ pone al fin del libro, para ſentir con la Ỹgleſia en el modo de orar, en el exercicio de las

Hab. ap. Ant. Ieſuium to. 4. Chro. S. Ben. pag. 237. ſub anno 888.

tres potencias, y de los tres modos al fin de la quarta semana, y otras cosas como estas, de las quales no ay palabra en el exercitario q̃ yo tengo del Padre F. Garcia, assique no ay q̃ dudar, sino que estos dos libros son diferentes, y que el segundo no se tomo del primero.

Queda responder a lo que el Padre Fray Antonio de Yepes dize, q̃ no podia acertar a poner aquel libro sin saber letras, ni latin N.B.P. A esto respondo, que para q̃ Dios en sene, y alumbre a vna alma, no tiene necessidad de estudios, ni latin, y lo que nuestro padre escriuio en el libro de los exercicios, no fue por auerlo estudiado, ni aprendido en los libros, sino por auerselo en Senado Dios, y auerlo experimentado en si mismo, Por q̃ aunque en aquellos principios, el no sabia lo q̃ el Senor disponia hazer del, sabialo Dios, y yuale disponiendo, para hazerle fundador de la compania, y gran Patriarcha de sua Yglesia, y yuale dando vno de los medios, con que auia de iuntar y amassar su misma compania, y sus hyos hazer tanto fruto en la Yglesia, como le han hecho por medio de los exercicios. Y vese ser esto verdad por el fruto que en todas partes, y de tantas maneras, que Dios nuestro Senor se ha dignado, Sacar por este medio, como es notorio, Que aunque nuestro B. Padre huuiera estudiado mucho, y sacado de otros libros sus exercicios, no era possible humana mente hablando, que de conceptos aprendidos en escuelas, y sacados de libros, aunque espirituales, y deuotos, se si guierã las mudancas de vida, y reformaciones de costumbres, y los otros frutos, que se han sacado del libro de los exercicios de N. B. P. si el Senor con especial gracia io se los huuiera dado a el, para estos efectos. Y assi el Sumo Pontifice Paulo Tercero en el breue que hizo el ano de 1548. en que confirma, y alaua los exercicios, dize. Exercicia spiritualia ex Sacris Scripturis,

& vitæ spiritualis exprimentis elicita. Y el Padre Polãco (cuya es las prefacciõn de libro de los exercicios) dize. Hæc documenta ac spiritualia exercitia, quæ non tam a libris, quam ab vnctione Sãcti Spiritus, & ab interna experientia, & vsu tractandorum animorum edoctus, noster in Christo Pater, &c. composuit. Y este ha sido el comun sentimiento de todos los padres antiguos de la compañia, que tratamos, y conuersamos con nuestro B. Padre sin que iamas se aya pensado, y sospechado otra cosa.

Yo tengo el libro del padre Fray Garcia, y por el, y por lo que se dize de su vida, se ve que fue varon espiritual, y dignissimo Abad, y reformador del sagrado Conuento de Monserrate, y que es iusto, que los nouicios de aquella casa sean instruydos por el. Y deuemos los de la compañia hazer gracias a nuestro Senor, que N.B.P. echado de las hõdas y tormentas del siglo, llegasse a tan buen puerto: y topasse con tam buen confessor, y se aprouechasse de tan buen libro. Pero lo q̃ Dios nuestro Senor obro despues en el, reconozcamoslo, y agradezcamoslõ los de la compañia pues todo es suyo, y se deue la alabanca a cuyo es. Con esto he respondido lo que al presente se me ofrece a la carta de V.R. a quien pido en caridad no se oluide deste pobre viejo, e inutil sieruo suyo, y de su santo Colegio en sus sacrificios, y oraciones, y que me encomiende mucho al padre F. Antonio de Yepes, a quien todos los de la Compãia deuemos seruir, por su mucha deuociõ, y por la caridad, y prudencia cõ que ha comunicado su duda a V.R. y por Zelar tãto la hõra de su Santa Casa de Monserrate, a la qual deuemos nos otros de oios seruir, assi por auer nuestro Señor dadõ en ella su espiritu a nuestro B.P. como por la er mãdad que todos los padres della hizieron con nuestra campãnia, el año (sino me engano) de 1543. Guarde nuestro Senor 18. de Abril de Madrid anno 1607.

Hæc Ribadineira patria lingua scripsit, quæ a nobis ni latinum hoc modo sunt reddita.

Tandem perlatæ sunt mihi literæ R.V. datæ 14. Aprilis; & tametsi plurimæ me occupationes distineant, fatigentque, modo tamen respondeo iis, quæ tum iubet mihi V.R. tum petit nomine istius Collegij, ad quod particulari affectu feror. Quod de exercitijs B. Patris Ignatij, P.F. Antonius Iepius asserit, & scribere cupit, aut imprimere, antiquum admodum & multum receptum est apud Monachos Monasterij Montisserratensis; e quorum vnus nomine F. Ioannes de Lerma, ante plures annos illud à me transcripsit, persuasus aliquibus ex istis rationibus, quibus P.F. Antonius Iepes se fundat, suo mihi videntur; primum, valde esse probabile, B.P.N. Ignatium, tum habuisse notitiam libri, seu exercitatorij P.F. Garciæ Cisnerij, dum apud Montem Serratū esset: tum in orando & meditando multū per eum profecisse: tum instructum fuisse à P.F. Ioanne Clanones, & edoctum nonnulla ex eo libro: tum demum librum, quem postea composuit, exercitia spiritualia vocasse, mutuatus ei nomen ab exercitatorio P.F. Garciæ. Secundum est, exercitiorum libellum Patris nostri, differre multum ab exercitatorio P.F. Garciæ; nam tametsi in vno, alteroque libello materialiter nonnulla argumenta tractent, quæ eadem sunt; modo tamen, methodoque tractandi multum inter se distant. Primo enim eorum, quæ primaria sunt, in libro exercitiorum Patris nostri, ne mentionem quidem exercitiorum inijcit. De examine particulari, tempore, & additionibus pro exercitijs melius agendis, de punctis, modisque electionum, de regulis pro discernendis spiritibus; nec de alijs, quæ infinita subiunxit, vt cum Ecclesia sentiamus, de modo orandi, & exercitio trium potentiarum, & tribus modis in fine quartæ septimanæ, aliisque huiusce modi rebus, ne verbulum

lum quidem est in eo exercitatorio P. F. Garciæ Cisnerij, quod apud me est; vt nullis possit subesse dubium, duos illos libro esse diuersos, nec exercitia ab exercitatorio desumpta fuisse.

Quod P. F. Antonius Iepius dicit, non potuisse B. Patrē nostrum tam pulchre librum elucubrare, cum literas linguamque latinam ignoraret; respondeo, erudiente Deo, & animam illuminante, nullo opus studio, nulla latinitate. Quod autem B. Pater noster scripserit in exercitiorum libello, non studio, non libris edidicit, sed à Deo edoctus, in se ipso expertus fuerat. Nam tametsi sub istis principijs ignoraret, quid Deus decreuisset de illo facere; attamen Deus ipse scripsit, qui sic eum disponebat, vt faceret eum fundatorem Societatis, & Patriarcham eximium Ecclesiæ suæ, dabatque ei ex ijs mediis vnum, quocum & colligere debebat ipse, & conglutinare suam Societatem, & sui filij tantum in Ecclesia fructum facere, quantum mediantibus his exercitijs fecerunt: & insuper verissimum esse comperiemus ex eo fructu, quem per omnes partes, & tam diuersis modis Dominus Deus noster exercitijs mediantibus colligere dignatus est, prout vnicuique patet; quod etiamsi Beatus Pater studuisset multum, & ex alijs extraxisset libris exercitia sua, impossibile tamen erat, humano more loquendo, vt è conceptibus in scholis perceptis, e libris extractis, etiamsi spiritualibus & deuotis, tot sequerentur mutationes vitæ, moramque reformationes & fructus alij, quos liber exercitiorum Beati Patris nostri peperit, si gratia illos spiritualibus Deus non communicasset, vt hos fructus ederet.

Confirmat hæc Summus Pontifex Paulus III. in Breui suo, dato Anno MDXLVIII. in quo confirmat, lau-

datque exercitia in hac verba: Exercitia spiritualia viri, ex S. Scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita. Et P. Polancus. qui scripsit præfationem ad exercitia, dicit; hæc documenta ac spiritualia exercitia, quæ non tam à libris, quam ab vnctione spiritus, & ab interna experientia, & vsu tractandorum animorum edoctus, noster in Christo Pater composuit. Et hæc communis opinio fuit omnium antiquorum PP. Societatis, qui egimus & conuersati sumus cum B. Patre nostro; nec aliud vnquam aut opinati, aut suspicati sumus.

Penes me liber P.F. Garciæ est, qui veluti & illa, quæ de vita eius circumferuntur, ostendunt eum virum spiritualem, Abbatem dignissimum, & reformatorem S. Conuentus Montisserrati. Iustum omninò est vt istius Monasterij tyrones ab eo libro instruantur: & vniuersi, qui in Societate sumus, Domino nostro debemus gratias agere, quod B. Pater noster, ereptus fluctibus & procellis mundi, ad tam securam portum appulerit, tam peritum inuenerit Confessarium, & tam bono ad profectum suum vsus fuerit libro. Quod tamen Deus postmodum in eo operatus est, agnoscamus, oportet, qui ex Societate sumus, acceptũque illi referamus: totum enim illud suum est, & vnicuique laus sua propria debetur. Et hæc in præsentiarum habui quæ responderem literis R.V. a quo peto in charitate, ne pauperis mei senis, suique & Sancti Collegij sui serui inutilis obliuiscatur in Sacrificijs & orationibus suis. Plurimum à me salutet P.F. Antonium Iepium, cui omnes, qui è Societate sumus, debemus inseruire, propter plurimam suam deuotionem, propter charitatem, & prudentiam in communicando dubium hoc R.V. & zelando honorem sacri sui Monasterij Montisserratensis; cui etiam debemus ad oculum inseruire; tum quoniam Deus in eo Spiritum suum B. Patri nostro insudit; tum propter

con-

confr. aternitatem, quam vniuersi illius Patres cum nostra Societate instituerunt, anno ni fallor MDXLIII. Deus custodiat R.V. Madriti 18. April. 1607.

Et hæ quidem non eius momenti doctissimo Iepio visæ, vt non persisteret negare, S. Ignatium Exercitia scripsisse, dum Minoresæ esset, illiusque rationem redderet in hunc modum.

Para mi es mas verisimili creer, que los exercicios que el hazia, y en senaua en Manresa, erã los que se praticauan en Monserrate, y el lleuaua aprendidos, con que hizo mucho prouecho en aquella Ciudad, y comarca, y si bien reconozco, que tuuo en este tiempo muchas reuelaciones del Cielo, però ninguna razon ay, que me cõuencia, ni me persuada, que siendo hombre sin letras, acometiesse vna obra, para la qual son menester tantas. Assi creeria yo, que el libro de los exercicios le ordenò el Padre Ignacio, despues de la peregrinacion, y tornada que hizo à la tierra santa, por que el mismo Padre Riuadeneyra confiessa, que quando este santo boluiò a Barcelona, despues de aquel largo, y penoso camino, co mẽçò à aprẽder los primeros documentos, y principios de la gramatica. Pues como vn hõbre tã cuerdo, y tã humilde auia de tener osadia de emprender cola tan alta? Arabando de ser discipulo, auia de de hazer las vezes del Maestro? Y siẽdo tan modesto, y conociendo de si que no sabia Latin, ni tenia letras, se auia de hazer Preceptor dellas? Y si bien q̃ el Espiritu Santo y su vncion le pudo ensenar estas y otras cosas mas altas en poco tiempo, pero nuestro Senor de ordinario dispone las cosas con suauidad, y con el tiempo va ensenando à sus seruos delicadezas, y primores, en el camino espiritual, que no les communica a los principios. Y mas aparencia de verdad lleua, y mas suaue disposicion de Dios parece, que quando Ignacio auia aprendido

Latinidad, Artes, y Theologia, escriuiesse vna obra tã docta, como la de los exercicios, que no que en sus principios, siendo idiota, y sin letras, publicas, se entre aquellos con quienes trataua, el libro, que para cõponerle era menes ter tantas, conociendole todos, que no las sabia.

Pero con lo que mas me acabo de conuencer, y me confirmo de nueuo en mi opiniones, con las palabras de vn Breue del Sumo Pontifice Paulo III. expedido el ano de 1548. en que confirma, y alaba los exercicios del Padre Ignacio, y las trae en su fauor el Padre Ribadeneyras, las quales dize desta manera. Exercitia spiritualia ex Sacris Scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita: De las quales se comprueua euidentemente, qne los exercicios, que el Padre San Ignacio escriuio, los hizo despues que sabia Latin, y Theologia, y no quando era solamente Romancista. Por que dize el Pontifice, que saco estos trabaios de la sagrada Escritura, la qual bien vemos que no esta en el vulgar Castellano; sino que para aprouecharse della es menester saber muy bien Latin, saluo, sino quiere el Padre Ribadeneyra multiplicar infinitos milagros, que no se han admitir sin necessidad. Pero demos que ya este Santo Patriarcha milagrosamente supiesse Latin, por que del cielo se lo huuiessen ensenado, como despues el Padre Ribadeneyra, quando buelue de Ierusalem à Borcelona, le haze principiante, y que aprende los primeros documentos, y reglas de la Grammatica? Si ya lo sabia, como lo aprende de nueuo? Y si no lo sabia, como se atreue à hazer vna obra, que quiere no solo saber Latin, pero ener conocimiento de las escrituras, y de la doctrina de los sagrados Doctores? Creo verdaderamente (Christiano Lector) que la certi dũbre deste punto se colige de la tradicion, que dexe puesta arriba, de que fray Ioan Chanones confessor de padre Ignatio le ensenno à meditar por el exercita-

torio

torio del P.F.Garcia de Ciſneros, profeſſo del Conuento de S.Benito el Real de Valladolid, Abad y reformador de nues tra Señora de Monſerrate, y con eſta leche ſe crio el ſanto Varon Ignatio, y como era ta feruoroſo, y derde ſus principios tan amigo de enſeñar à los proximos, comunicaua à ſus oyentes lo que traia aprẽdido; y ſe praticaua en Monſerrate. Pero deſpues quando ya vino à ſer hõbre perfecto, y conſumado, docto en Artes, y Theologia, hõbre de grande Eſpiritu, poderoſo en obras, palabras, y eſcritos, puſo, quito, y anãdio muchas coſan en el exercitatorio, que le auian dado en Monſerrate, y acomodole à ſu inſtituto; y modo de viuir, con que hizo tanto prouecho al mundo, y con que ſus hiios, y diſcipulos hazen extraordinarios efectos, ſiguiendo las piſadas de su gran Maeſtro. Y como el Angelico Doctor Santo Thomas no pieide credito, por auerſe aprouechado en la ſuma Theologia, de la que le auia leydo ſu Maeſtro Alexandro de Ales: por que ninguno nace enſeñado, y es ſuma cordura, y prudencia, ſaberſe vno aprouechar de los trabaios age nos, digiriendo los, añadiendo algo en ellos, y haziendo los proprios ſuyos. Aſſi tampoco los exercicios ordenados por el B.P.Ignacio, pierdem ſus quilates, porque el en los principios de ſu conuerſion los aprendieſſe en nueſtra Señora de Monſerrate, donde tan altamente ſe trataua en aquel tiempo el camino de la vida eſpiritual, y perfecta.

Hæc, quæ Hiſpanicè ſcripſit Antonius Iepius, in hãc ferè ſententiam Latinè reddi poſſunt:

Multum ego probabilius crediderim, exercitia, quæ & faciebat Ignatius Minoreſſa, & docebat alios, ea ipſa fuiſſe, quæ in vſu apud Montem ſerratum fuerant, quæ & ipſe didicerat Ignatius; & quibuſcum vberes fructus ſuſtulerat in ea ciuitate & vicinia: & etiamſi compertũ habeam, plurima eum reuelatione donatum cælitus, non in-

uenio

uenio tamen quod me conuincat; perſuadeatue, ipſum, cum eſſet literarũ rudis, voluiſſe opus aggredi & tẽtare, ad quod tanta litera neceſſaria eſſent. Propterea crediderim, librũ exercitiorum compoſuiſſe illum, poſtquam Hieroſolymis rediiſſet. Nam ipſemet P. Ribadineira fatetur ipſum Sãctum, cum iam peregrinus à longo & perdifficili ſuo itinere reduſſet Barchinonem tum inquam ad prima grammatica documenta, & rudimenta addiſcenda ſe contuliſſe: cum autem tanta ille prudentia, tanta humilitate fuerit, qui tum auſus fuiſſet tam altum, arduumque facinus aggredi? Nondum egreſſus diſcentis ſubſellijs, viceſne ageret magiſtri? cumque modeſtus eſſet, & conſcius inſcitiæ ſuæ in latina lingua literiſque præceptorem ſe exhiberet? Dignum quidem acceptione eſt, potuiſſe Spiritum Sanctum aut Sacram illius vnctionem, hæc & maiora his edocere breuiſſimo tempore; vt plurimum tamen Deus omnia diſponit ſuauiter, ſeruos ſuos proceſſu temporis erudiens ſubtilitates & excellentias in via ſpirituali, quas ſub initio non communicat citius. Igitur à veritate magis ad ſuauem Dei diſpoſitionem eſſe videtur, S. Ignatium tum potius exercitia ſpiritualia, doctum profecto opus, compoſuiſſe, cum latinis literis, artibus, & Theologia imbutus, quam ſub his principijs, cum imperitus, rudiſque literarum fuiſſet: nec enim librum, ad cuius compoſitionẽ tot litera neceſſariæ, publici iuris feciſſet coram iis, quibuſcum conuerſabatur, quique conuerſi ſciebant, literarum eum protinus expertem.

Maxime verò me conuincunt, & meam mihi opinionem confirmant denuo Pauli III. confirmantis exercitia ſpiritualia Breui ſuo dato MDXLVIII. eaque laudantis verba: verba autem, quæ & ipſe P. Ribadineira pro ſe allegauit, habe: Exercitia ſpiritualia ex Sacris Scripturis & vitæ ſpiritualis elementis elicita. Ex his enim euidens

omni-

omninò fit, B.P. Ignatium condidisse exercitia sua, postquam ad latinæ linguæ & Theologiæ S. cognitionem pertigisset; non autem cum linguam tantum Hispanicam calleret. Dicit enim Sanctus Pontifex, exercitia ista desumpta ex Sacra Scriptura, quæ in vulgare idioma Hispanicum nondum translata fuit; sed vt illa in rem vti posset; necessarium erat abunde latinas literas scire; nisi velit P. Ribadineira multiplicare infinita miracula, quæ absque necessitate admittenda non sunt. At demus Sanctum hunc Patriarchain miraculosè latinas literas intellexisse, cælitus edoctum fuisse, cur amabo, cum Hierosolymis Barchinonam rediit, elementarium eum introducit Ribadineira, primas regulas, documenta primæ grammaticæ discentem? Si iam latinam linguam intelligebat, cur eam de nouo addiscit? Si non intelligebat, cur ausus est elucubrare opus illud, quod non cognitionem tantùmodo latinæ ligua, sed & sacræ intelligentiam scripturæ, & doctrinæ Sanctorum requirit Doctorum? Credo equidem, Christiane Lector, controuersiæ huius solutionem à traditione, de qua proxime locuti sumus, petendam esse; scilicet P. F. Ioannem Clanonem Confessarium B.P. Ignatij ad meditandum erudisse eum exercitatorio P.F. Garciæ Cisneri, Monachi professi Monasterij S. Benedictini Vallisoletani, Abbatis & reformatoris B. Virginis Montisserratensis; huiusque exercitatorij lacte enutritum Sanctum virum Ignatium, cum feruidus admodum esset, & ab ipso principio conuersionis suæ tam libens proximos doceret, auditoribus suis communicasse quæ didicerat ipse, quodque in vsu erat apud Montem serratum: postea vero cum in virum euasisset perfectum, artiumque & Theologiæ doctissimum, insignem spiritu, potentem opere, sermone & scripturis, potuisse sustulisse, addidisseque plurimum exercitatorio, quod ei apud Montem serratum datum fuit;

illud-

illudque ad institutum suum, modumque viuendi accomodasse; vt tum ipsemet Sanctus, tum illius discipuli tam insigni magistri sui insistentes vestigijs plurimam mundo vtilitatem crearent, admirandos effectus operarentur. Quemadmodum autẽ Doctori Angelico S. Thomæ nihil honoris deperit (nemo enim doctus nascitur) quod plurimum profecerit Summa & Scriptis Magistri Alexandri Alensis (summa enim dexteritas & prudentia est, alienis laboribus in suum profectum vti posse, addendo, vel mutando aliquid in ijs, & sibimet ipsos appropriando) ita nullatenus exercitia composita & ordinata à B. P. Ignatio, minoris æstimanda sunt, quod in infantia melioris vitæ, & initio conuersionis sua didicisset ea, apud B. Virginem Montisserratensem, vbi vitæ spiritualis & perfectæ incedebat itinere, hactenus Antonius Iepius.

Ex Confessione Ribadineiræ, & auctoritate Iepij ostenditur, S. Ignatium non scripsisse sua exercitia, cum esset Minoressæ. Cap. III.

PRolixius forsitan quam Institutum postulat, & cõfitentem Ribadineiram, & docentem Iepium induxi; at libenter illud. Nam cum mihi propositum demonstrare, S. Ignatium nequaquam scripsisse exercitia sua, dum Minoressæ hæreret, volui certè tantorum virorum fide quorum alter apud Benedictinos, apud Iesuitas alter summa auctoritate est, mihi ad ea, quæ dicenda habeo viam facere. Auctoritas enim eorum plurimum quæstioni tractandæ lucis afferet mihi excusationis. Nam si & tantummodo affirmauero, quę illi duo aut asseruerunt, aut fassi sunt, pauci admodum pro veritate me stetisse diffitebuntur, omnes iis me indignum telis censebunt, quæ in immerentes

Ratio præteritorum.

innocentesque iactare solet inuidia. Sed age, quæ illi confessi sunt relegamus. Et quidem confitetur Ribadineira traditionem & antiquam & receptam plurimum apud Montisserratenses Monachos fuisse, toto eo tempore, quo Minoressæ commoratus est, ad exercitatorij Cisnetiani documenta & regulas, vitam, moresque suos ditexisse S. Ignatium: & tum demum cum Hierosolymis redijsset, exercitiorum libellum composuisset; imo sic receptã, sic firmam traditionem illam, vt monachorũ vnus Ioannes de Lerma, non dubitauerit ad eumdem Ribadineiram rem traditã asserendo transcribere. Concedit in hanc sententiam Iepius, eorundem Monachorum ductus, accepta, communiter, & per manus tradita persuasione. Siste igitur Lector, & priusquam vlterius progrediaris, vna mecum considera vim, veritatemque huius traditionis. Quis enim Ribadineira? Quis Iepius fuit? Ille quidem S. Ignatio adhæsit etiam ante confirmatam à Paulo III. societatem: Iepius autem plenus dierum & bonorum operum, cum antea munia plurima in sua Congregatione præclare administrasset, iam pridem obijt, & noscere potuit S. Ignatium (sicut & Ribadineira nouit) & familiaris eorum esse qui S. Ignatium Montisserrati, & Minoressæ viderant. Igitur cum vterque fateatur, traditionem, eamque antiquam, & ante multos annos, prout Ribadineira habet; certè præsumendũ est, vtrũque potuisse cum B. Euangelista dicere, sed id memoriæ prodere, eã referre traditionem, quã tradiderunt illi, qui ab initio viderant & ministri fuerant, qui videlicet testes oculati fuerãt eorum, quæ S. Ignatius Minoressæ gesserat.

Vis traditionis huius, p Ribadineiram & Iepiũ.

Luc. 1.

Vis traditionis, in genere.

Quanta traditionis vis existat, nemo ignorat Catholicorum; quam feliciter vtantur ea orthodoxi scriptores

res aduersus hæreticos, compertissimum est: quam rectè per eā mores hominum instruant, & antiquas Ecclesiæ historias vindicent suæ puritati, ignotum nemini: nec solum vniuersalis, non maiorum Prouinciarum tantummodo, sed & vnius Ecclesiæ traditionem maximi faciunt authores. Sic Cardinalis Baronius aduētum S. Barnabæ in liguriam, Mariæ Salomes obitum Verulis apud Hernicos, ex vtriusque Ecclesiæ actis docet. Quod si tantum vni Ecclesiæ in antiquissimis; vni certe Monasterio, illique tam celebri, tam reformato, in recentissimis non minimum concedendum erit. Recentissima, inquam; talia enim existunt, cum ipsi qui tradunt, acceperint ab oculatis, & dignissimis fide testibus, quę tradiderunt.

In specie.

Nec omittendū puto, Ribadineiram, antiquam vocare traditionem, in re etiamsi recenti; vt vel inde colligas ab ijs profectam illam, quam ipsi, vt diximus, ab initio viderunt, factoque coeuam fuisse, & consequenter verum. Præsertim cum non antiqua modo, sed & multum recepta dicatur. Qui enim apud Monachos omnes Montiserratenses, tam recepta illa, tam generalis, idque tam breui tempore, eodemque loco, quo res gesta, quo conuersus S. Ignatius, quo meditationibus, orationibus operam dedit; nisi quia vniuersi illi facti oculati testes gestorum S. Ignatij, & ipsi crediderunt firmiter, & posteris attestati sunt, non composuisse S. Ignatium exercitia sua, dum Minoresæ esset, sed exercitatorio Cisneriano vsum fuisse. Nec suo vocat ponderę eos apud quos antiqua hæc, & recepta plurimum traditio vigebat, Monachos Montiserratenses fuisse. Nam si in testimonio ferendo, testiū probitas cōsiderari debeat; qui hic pro testimonio sūt, & tradūt nobis, religiosi sunt, docti sūt, probi sunt,

Roboratur Traditio præsens.

& mul-

& multa grauitate conſpicui: vt facile nobis poſsimus perſuadere, non amore, non odio, alioue affectu prauo adductos illos, ſed ſola motos veritate facti, quam ipſimet ex propria ſcientia perſpectiſsimam habebant poſteris traditionem hanc reliquiſse. Et communem Monaſterij ſui perſuaſionem, veritatemque perſuaſionis, Ioannis de Lerma factum confirmat egregie, non enim effrons ſcripſiſset ille, S. Ignatium ijs vſum exercitijs, quæ exercitatorium præſcribit; libellum vero exercitiorum neutiquam condidiſſe, dum Minoreſsæ hæreret, niſi id perſuaſum maximè fuiſſet Clanonis & Monachis Monaſterij ſui; imo & Minoreſſanis, allijſque, qui S. Ignatium conuerſationis initio cognouiſſent: nam cum hæc ſcripſerit conſtitutus Montiſſerrati, vbi in viuis adhuc agebant plurimi, qui S. Ignatium viderant, & ibi, & Minoreſſæ agentem, facilè ab ijs, facilè ab ipſo Ribadineira cum ipſo Iepio impudentiæ coniunctus fuiſſet, impudenter tam inſigne mendacium protuliſſet. At Ribadineira nec illi, nec Iepio communem famam aut Montiſſerrati, aut Minoreſſæ opponit, ſed traditionem Montiſſerratenſem concedit.

Ergo concludamus; ſi tantum habeat pondus traditio ad veritatem aliquam aſtruendam: ſi traditio hęc Montiſſerratenſis antiqua, ipſique facto coæua: ſi recepta plurimum apud bonos probosque viros, qui ipſum S. Ignatium cognouerunt: ſi inde deducta, ibi inquam recepta, vbi rem geſtam oportuit: ſi ibidem inuenerit propugnatorem, ſtatim atque contrarium Ribadineira ſcripſiſſet; profecto æſtimare debemus, nobisque perſuadere, traditionem eam eſſe certiſſimam, rē traditam veriſſimam: & indubitatam, S. Ignatium dum Minoreſſæ conuerſaretur, minime ſcripſiſſe exercitio- *Concluſio.*

citiorum libellum, sed exercitatorio Cisnerio vsum fuisse.

Examinantur rationes Ribadineirae, & Iepij.

Sed ne sola videamur agere traditione, momenta rationum examinemus, quæ vel fatendo Ribadineira, vel asserendo Iepius concedit. Ribadineira igitur profitetur, S. Ignatium vndis, procellisque ereptum sæculi, primitias Spiritus hausisse in Serrato monte; vsum fuisse instructore P. Clanonio, instructionibus exercitatorij Abbatis Cisnerij ad plurimam vtilitatem, & profectum suum, præsertim sub primordijs conuersionis suæ; Clanonium docuisse illum & eruditisset ex eodem exercitatorio, quod ille post modum sic in charis & admiratione habuit, vt nomen ab eius nomine desumens, librum a se compositum, exercitia appellare voluerit: hæc inquam Ribadineira; quæ etiam in confesso apud Iepium sunt; qui & illud addit, non nouitios modo, sed & spirituales Monachorum filios, seu peregrinos aduentantes, hoc exercitatorio Cisneriano perpoliri.

Quanta fuerint primordia exercitiorum Ignatij.

Age igitur si normam vitæ, morum, meditationumque suarum adhibuerit exercitatorium præfatum sub exordijs conuersionis; quousque exordia ea dicemus extendi ad quatuor illos, aut quinque dies tantummodo, quibus Ignatium in sancto monte Orlandinus voluit commoratum fuisse? nequaquam me hercle. Nam Ribadineira, non exordium, inquit, seu principium, sed (los principios) principia, primordia suæ conuersionis; vt videas, longioti tempore illum, exercitatorium consuluisse: ait dein, orando, & meditando profeciſse ex eodem libro. At moram illam quatuor, aut quinque dierum, quam traxit in Sacrato monte, in scrutinio conscientiæ expendit: nemo autem non concesserit spacium aliquot prolixius diebus

quin-

quinque concedendum illi, vt ex eo libro profeciſse dicatur: quid, inquam, quinque dies, cum & quinque oportuit menſes effluxiſse antequam per eum librum in ſpiritualibus progreſsum feciſset? cum ipſimet Ignatiani ſcriptores eum profiteantur primis quatuor méſibus in vocali oratione conſtitiſse, ſpiritualium fuiſse rudem, vt patebit inferius. Ergo ſi non niſi quinto aut ſexto potius, vel ſeptimo menſe, ad meditationes & ſpirituales orationes contulit ſe, & in ijs per exercitatorium profecerit; profecto ex ipſorum Ignatianorum confeſſione, ipſa traditionis pars, quæ S. Ignatium aſserit exercitatorio vſum fuiſse, dum Minoreſsæ hæreret; vera eſse probatur.

Adde, Iepio teſtante, conſuetudinem fuiſse, vt nedum Monachi, ſed & alij accedentes exercitatorij Ciſneriani inſtruerentur. Vnde fatetur Ribadineira, edoctum à Clanonio S. Ignatium ex eodem libro. At quãdo hoc? non quando hesit Montiſserrati paucis diebus, quos par eſt exiſtimare, vt ſupra diximus, in conſcientiæ examine impenſos; præſertim cum Ribadineira alibi dicat, Ignatium totius vitæ ſuę diſcrimina per triduum ex ſcripto confeſsum fuiſse. Nam ſi tres dies concedantur recitationi peccatorum ex ſcripto; duo profectò debent ad minimum aſſignari ijſdem ſcribendis peccatis. At quatuor ille, teſte Orlandino, aut quinque tantum diebus hæſit apud Montemſertatum; ergo illis diebus non potuit à Clanonio artem meditandi, orandique doceri ex eo libro; ſed neceſse imo certum fuit, redijſse eum Minoreſsa ad Monaſterium, vt eruditetur: ergo eo vſus eſt exercitatorio Ignatius, dum Minoreſsæ hæreret.

Vita ex proceſſibus extracta.

Demum, an non Ribadineira docet, S. Ignatium, libellum appellaſse ſuum, Exercitia? atqui hoc? quia,

Ribadin. in epistola supra allegata.

inquit, ab exercitatorio Cisherij nomen mutuatus est; scilicet viderat argumentum exercitatorij, methodum viderat; viderat in alijs, in se etiam expertus fuerat fructum illius: & propterea librum suum argumento consimili, non ita dispari methodo scriptum, exercẽdis spiritualibus viris, exercitia ad illius instar denominare voluit. At, amabo te, quatuor ne, aut quinque diebus, imo vix vno die (nam dies illos purgandæ conscientiæ datos ostendimus) potuit sic exercitatorium legere, sic sensu eius digerere, sic modum & methodum aliquin dimittere, vt ex proportione & similitudine vnius ad alterum, nomen potuerit de nomine sumere, exercitia ab exercitatorio denominare? non equidem, sed mora longior requirebatur; quam cum negent Ignatium traxisse apud Serratum montem, fateri debent, apud Minoretam legisse illum; digessisse, plenaque cepisse Cisherij librum, eoque ibidem vsum fuisse.

Ignatiũ, libellum exercitiorũ, Minoressæ non cõposuisse, probatur.

Sed fortassis non illibens fatebuntur mecum, assuesse exercitatorio Cisherij Ignatium Minoretæ hærentem; at semper fruitum fuisse illo, nec alio vel posteriori tempore, sub fine videlicet Minoretanę morę libellum suum exercitiorum composuisse, negabant. Potuit enim primis mensibus, quibus Minoretæ commoratus est, exercitatorio vti, & suum deinde libellum elucubrare. Respondeo; referente Orlandino, quatuor Ignatius in oratione vocali consumpsit menses, nondum ad mentalem peruentus: & Ribadineira asserit: Isdem quatuor mensibus, quæ conscientiæ eius tormina præcesserunt, spiritualium rudem fuisse, & parum in virtutum exercitatione versatum; deinde mense vno aut circiter scrupulis concesso, iam quinque tantum nodo supersunt; imo nec totos. Illi quin-

Orland. l. 1. n. 22. Ribadin. lib. 1. c. 5. & 6.

que

que concesſero; nam, vt idem Ribadineira affirmat, *à ſcrupulis integer, ex magnis laboribus, & perpetua animi contentione in morbũ grauem incidit, à quo etiam vbi aliquantulum conualuiſſet, ad conſuetas penitentias, & eandem vitæ aſperitatem redieus, in morbum de integro incidit, quod & tertio fecit.* Igitur ex quinque ijs menſibus vnum ad minus deme, tertium redeunti morbo concedendum. Quamobrem cum, ipſiſmet Ignatianis confitentibus, decem menſes definierint ſpacium illud omne, quod Minoreſsæ S. Ignatius exegit, & quatuor vltimis tantummodo, eorundem confeſſione, ſe ad ſpiritualia contulerit, & ad eadem ſpiritualia perdiſcenda exercitatorium Ciſnerij adhibuerit, cum ex eodem profecerit: vide, amabo te Lector, an non illud, quod ſupereſt temporis, addiſcendis potius Ciſnerij exercitijs, quam ſcribendis ſuis aſſignare debeamus? vide, unquam, an tempus, ſpatiumue inueneris vllum, in quo potuerit Ignatius exercitia ſua exarasse? Auſim affirmare, non inuenies. Si hoc, ergo nec inuenies vnquam, exercitia ſua ſpiritualia, quæ vocant, in Minoreſsano ſeceſſu Ignatium euigilaſse.

Soluitur Obiectio Ribadineiræ de facta Ignatio Cælitus reuelatione. Caput IV.

SEd occurrit Petrus Ribadineira, & ait: *Erudiente Deo, & animam illuminante, nullo opus ſtudio, nulla latinitate, Beatus autem Ignatius, quæ ſcripſit in exercitiorum libello, non libris edidiciſſe, ſed a Deo edoctum & in ſe ipſo expertum fuiſſe.* Nec Ribadineirę ſolum, ſed & aliorum omnium Ieſuitarum vnaeamdemque vox, quæcunque illa S. Ignatio ſeu ad ſtudium, ſeu ad cognigni-

Ribadin. l. 1. vitæ S. Ignatij.

gnitionem literarum deerāt, ſuppleuiſſe magiſterium ſpiritus, vnctionemque Diuinam, quæ vt olim in linguis igneis apparens, Apoſtolos indoctos rudeſque, doctos pariter & loquentes fecit; ſic & Ignatium tam ſublimiter erudijt, vt eā ſcribere potuerit & docere, quæ antea non didicerat. *Nulla enim* (inquit Venerabilis Beda) *in diſcendo mora eſt vbi ſpiritus S. Doctor adeſt.* Aut (ut Leo magnus teſtatur.) *Velox eſt ſermo ſapientiæ, & vbi Deus magis eſt, citò diſcitur quod docetur; non eſt adhibita interpretatio ad audiendum, non conſuetudo ad vſum & tempus ad ſtudium.* Quid ni enim cōcedatur Ignatio, vito toties irradiato, diuinitus illuſtrato theodida quod (vt Apoſtolos taceā) alijs plurimis non vitis tantūmodo, ſed & fœminis liberali manu indulſit Deus: cū rudes omnium prope modum literarū, politiori certe literaturę & latini ſermonis imperiti fuiſſēt, pulcherrima tamen & doctiſſima argumenta acceptæ cælitus doctrinæ poſt ſe reliquerunt. Concludendum igitur quicquid minus aut ſcientiæ aut literarum habuit Ignatius, id omne Diuini chariſma ſpiritus, non ſine ingenti miraculo refarciſſe, eumque abunde inſtruxiſſe, vt libellum exercitiorum potuerit Minoreſſæ conſcribere.

Beda, homelia in Lucam. Leo. 1. ſermone de Pēthecoſt.

Amens profecto ac impius eſſem, ſi inficiarer, Diuinum Numen ſua poſſe liberaliſſime communicare dona creaturæ ſuæ. eſto igitur quicquid tractandorum animorum vſus, quicquid experientia, quicquid continuus & improbatus labor, in ſacra verſanda pagina potuerunt Ignatio conferre, rectius quidem donare poteſt, perfectius, plenius, vnus Diuini ſpiritus illapſus, irradiatio minima. Dein nec illud nego, multoties copioſe perfuſum lumine Ignatium dum eſſet Minoreſſæ, etiam Lumen illud ſic eū illuſtraſſe, vt exercitia

citia sua potuerit Minoresse disponere & euigilare, negandum videtur mihi & pernegandum. Nec enim illustrationes omnes, ad omnia adaptant hominem & perficiunt; *alijs enim (vt ait Apostolus) datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum in vno spiritu, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum*, diuersa quidem dona, omnia tamen opetatur vnus & idem spiritus. Tametsi igitur per cæ leste eas reuelationes, meliores omnes, doctiores omnes euadant, lumenque illud supernaturale, & Diuina irradiatio sic intellectum acuat in diuinorum prospectione, vt volũtatem simul inflammet amore; alios tamen ad amandũ fortiter impellit, alios ad percipiendum acutius erudit: & hinc fit, vt post huiuscemodi illuminationes, illi dilectum amorose suspirent suum: hi enarrent altissima & profunda Dei. Porro & illud visum accidisse hũc eundem spiritũ, qui quod optimum singulis, cum nouerit, singulis diuidit prout vult, vix aliud quã vt ament nonnullis attribuere; sic, vt cum nedum in rebus sæculi & mundi huius, sed & in literis idiotæ prorsus existant, toti tamen ardeant amoris incendio scientissimi supereminentis charitatis Christi: sed regredior; prolixius enim argumentum, quam vt anguſti limites capiant, & forsitan non ita huius loci.

1. Corinthior. ca. 12.

Deus illuminat, sed noti ad omnia.

Igitur quod præsentis argumenti proprium magis existimem, obserua, Diuini hanc vnctionem spiritus, abditaprofundaque mysteria sæpius docere homines; sæpe etiam & illa quæ praxi deseruiunt adque alios dirigendos pertinẽt, ac proinde plures nobis Sanctoctorum historiæ subministrant, qui edocti cælitus de ineffabili mysterio Trinitatis, de admirabili Dei ho-

miniſque commercio, de opificio mundi, & ſpiritualium intelligentiarum, de virtutum vitiorumque naturis altiſſime potuerunt diſſerere; cum parum aut nihil eorum ſcient, quæ ad aliorum regimen ſpectant. Hinc igitur efficies, etiamſi concedatur, raptum illuſtratumque fuiſſe Ignatium in ſeceſſu Minoreſano; non tamen neceſſario ſequi inſtructum eruditumque ad quælibet opera conſcribenda. Quinimo detur, edoctum, & ſermone ſcientia donatum fuiſſe; crediderim potius de myſterijs illis recõditis, de trin Vno Deo, de incarnato verbo, de pulcritudine virtutum, vitiorum deformitate, quam de aliorum animabus regendis, potuiſſe librum exarare. Proinde non ita difficile creditum euadit, ſcripſiſſe cum Minoreſsæ de vniius eſſentiæ perſona triplici; cum non careat difficultate libellum exercitiorum qui in tractandis omne genus animabus, iſque practice dirigendis verſatur, potuiſſe dictaſſe.

Negamus igitur, Ignatium poſt eas irradiationes cæleſtes, quas immiſſas illi ſui aſſecle affirmant, & nos concedimus non illibenter: negamus inquam, Diuino ſic edoctum lumine, ſeu potius Diuinum lumen ſic eum irradiaſſe & etudijſſe, omniaque quæ deerãt, ad tantum opus ſubminiſtraſſe, vt libtum illum credamus, aut poſſimus aſſerere ab eo Minoreſsæ hærente conſcriptum. Quinimo non obſtantibus, quæcunque tandem illæ fuerint, Diuinis illuſtrationibus, credendum potius & affirmandum eſt nequaquam ab eo in illo commorante ſeceſſu exaratum fuiſſe: Nam (vt Antonius Iepius aiebat) *ea Pauli III. Opt. Max. Pontificis verba: Exercitia ſpiritualia ex Sacris Scripturis & vitæ ſpiritualis alimentis elicita, compoſuit*, euidenter oſtendunt ſacri textus ſcientia & intellectu

Ignatiũ, libellum ſuũ non diuinitus compoſuiſſe, ꝓbatur.

im-

imbutum, cum exercitia conderet. Testimonium hoc tanti Pontificis magnum est; at nec eo contentus Iepius, ex ipsomet Ignatij exercitiorum libello rem manifestiorem reddit: Cum enim redemptionis nostræ vniuersa mysteria, totamque vitæ Christi seriem, tam pulchre recteque digerat Ignatius, ipsa Sacræ Scripturæ verba ea inserat fidelitate, vocationem Apostolorum, apparitiones Christi; aliaque nonnulla difficiliora nonnullis tam recto explicet ordine, methodo tam accurata, nedum sacram intellexisse paginam, sed & magistrum illius, & quidem peritissimum iure dixeris illum: Quoniam vero per ea tempora, eadem Sacra Scriptura nondum donata esset vulgati Hispanico, sed in Latino consetuaretur; vt testatur Iepius, propterea linguæ peritia latinæ necessaria erat, tum ad intelligendam scripturam ipsam Sacram; tum consequenter ad Instruendum Ignatium, vt exercitia sua posset componere. Hinc igitur supposita hac linguæ latinæ imperitia, qua fatentur Ignatiani Scriptores Ignatium laborasse, dum Minoresæ hæreret; aiunt enim: *Latini sermonis rudem fuisse, ac prorsus idiotam; & qui præter legere & scribere nihil aliud norat.* Vnde post Hierosolymitanum iter, inducunt eum iam grandem natu (annum enim agebat trigesimum tertium) prima grammatices rudimenta deuorantem, repueraſcentem iterum, & elementarium propemodũ factum. Supposita inquam inscitia latialis linguæ, sic pulchre infit Iepius: *Demus hunc S. Patriarcham, miraculose latinas literas intellexisse, cælitus edoctum fuisse; cur amabo, cũ Hierosolymis Barchinonam rediit, elementarium eũ introducit Ribadineira, primas regulas, documenta prima grammaticæ discentem? Si iam latinam linguam intelligebat; cur eam de nouo addiscit? Si non*

Vita desumpta ex proce. Ribadin. l. 1. c. 13. Maphl. 1. c. 16. Iepius ad an. 888.

intelligebat, cur ausus est elucubrare opus illud, quod non cognitionem tantummodo latinæ linguæ sed & sacræ intelligentiam Scripturæ, & doctrinæ Sanctorum requirit Doctorum? hæc Iepius: & neruose quidem: nam si linguæ Ignatius togatæ, inspirante Numine, peritus Minoresſæ fuit, quomodo postea Hierosolyma rediēs primis rudimentis eius Bārchinonæ pueris associatus incumbit? Si autem eam linguam nesciuit, vt in confesso est, quomodo sacram tam rite, recteque scripturam intellexit, quę latino idiomate, vt Iepius testatus est conseruabatur? Profecto scientiam latini textus, si infudisset vnctio Diuini spiritus & illustratio; non alio mastigo opus, minime necessū fuisset denuo in subsellijs infirmis, cum pueris latinum balbutire sermonē, Quid enim, num Apostolos, num Bernardos, num Rupertos, num Hildegardes & Elizabethas, num Gertrudes & Mechtildes, fulgentissima Ordinis Benedictini lamina, istius scientiæ quam diuinitus habuerūt infusam, oblitos accepimus? num post missionem paracleti Spiritus illi addiscendis linguis nauarunt operam? hi scientijs, postquam docibiles fuisset Dei? minime profecto linguarum etenim illis, his scientiæ acceptæ possessio perēnis fuit. Igitur cū insolēs omninò sit, eiusmodi infusa cælitus dona excidere penitus: idque breuissimo tempore, huiusmodi prestātissimorum donorum capaci certe asserendum venit, Ignatium qui Hierosolymis reuersus grammaticæ rudimentis incubuit & elementarius propemodum fieri voluit) Minoresse hærentem, non habuisse suggerente & illuminante spiritu, linguarum donum, non calluisse latinam linguam propterea &: non potuisse nec intelligere textum sacrum qui latina adhuc lingua conseruabatur, nec exercitiorum componere libellum,

ad

ad quem exarandum sacræ cognitio scripturæ necessaria erat.

S. Ignatium non scripsisse sua exercitia dum esset Minoressæ, probatur ex defectu vsus tractandorum animorum, & experimentorum spiritualis vitæ. Caput V.

Præfatio exercitiorum spiritualium.

PRæfatio ad ipsa exercitia spiritualia impressa An. 1548. ipso viuente, videnteque & approbante Ignatio, clarissime profitetur, eundem Ignatium tractandorũ animorum vsu edoctum, eadem exercitia composuisse. Igitur cum intelligentiam Sacræ Scripturæ, quę necessaria fuit, nec studio acquisiuerat Ignatius, nec infuderat Diuina irradiatio commoranti Minoressæ; iam progrediamur ad examinandum, quis illi vsus, quæ experientia tractandi & versandi animos fuit. Sed primo ipsa verba præfationis accipe: *Hæc* (inquit) *documenta ac spiritualia exercitia, non tam à libris, quam ab vnctione Sancti Spiritus, & ab interna experientia, & vsu tractandorum animorum edoctus noster in Christo Pater Magister Ignatius de Loyola Societatis nostræ institutor, & Præpositus generalis composuit.* Quis huius auctor præfationis? Ioannes Polancus certe, vt Ribadineira in epistola superius laudata & adducta habet; & quis Polancus? publicus Societatis scriba (vt scribit Orlandinus) cui omnia arcana committebantur. Si autem Secretarius ille Societatis & Præpositi generalis; profecto non tam scitu & nutu Ignatij scripsisse eam præfationem, quam ipsius sancti sensa mentemque retulisse, dicendus est; præsertim cum præfatio illa libello præponenda esset Iguatij nomine edito, bono totius Societatis Iesuitarum scripto.

Polancus quis fuerit.

Quid

Officium Secretarij. Quid conſecter omnium religioſorum vſum, apud quos receptatiſſimum, vt Secretarij literas publicas exarantes, Præſidentis, Magiſtri, Miniſtri, & Præpoſiti generalis mentem & voluntatem ſuis exprimat verbis; ſcribant inquam literas ad eorum mentem continuo, ſæpius ſubſcribant ijs. Igitur ſi hoc verum, vt veriſſimum, ea epiſtola ſeu præfatio etſi à Polanco ſcripta; quia tamen dum ea conſcriberet, ab epiſtolis S. Ignatio fuit, eamque ſcripſit libello eiuſdem Ignatij præponendam; clariſſimum euadit, non tam exiſtimandum eam Ioannis Polanci quam S. Ignatij: qui ſi non dictauit, penitiſſime tamen examinauit & perpendit eam, ſuaque iuſſit authoritate ratam haberi. Quamobrem cum tanta ſit illius præfationis authoritas, vt pro certiſſimo ſtatui poſſit, iam tum Ignatium ſcripſiſſe exercitiorum libellum cum tractandorum animorum vſu edoctus eſſet; ni Polancum, aut Sanctũ ipſummet potius, falſa dixiſſe velimus autumari, indagandum reſtat, quis vſus illi, quæ ſcientia inſtruendorum animorum, dum Minoreſſæ ageret.

Et primo ipſis fatentibus Ignatianis ſcriptoribus, vt ſupra vidimus, non plures his quinque menſibus Ignatius Minoreſſę hæſit; quatuor ex ijs orationi vocali dedit: nondum ad mentalem prouectus; deinde menſes duos ſcrupulis eximendis; & tertium, aduenienti morbo gratiſſimo, ſi concedamus: iam tres tantummodo ſupererunt exercitijs addiſcendis, docendis atque ſcribendis. Age igitur, ſeptimo menſe perfectiſſime docenda didicerit; octauo, inceperit alios erudire (licet id difficillimum exiſtat, cum ipſemet tam recente, eſſet in ſpiritualia intromiſſus) quod ſpatium quæſo, quod ſupereſt tempus, vt tot aduentantes erudire potuerit; vt quotidiano eorum tractandorum vſu, artem

Diſtributio 10. meſium Ignatij.

te-

regendis animas, aphorismos edere, scribere regulas de docentibus, & discentibus exercitia, de tentatis & desolatis, de affluentibus consolatione & feruidis, de otiosis & negotio implicatis, de rudibus, simplicibus, debilibus, doctis, diuitibus, coniugatis, omnique ætate ingenio & doctrina viris erudiendis & instruendis: non enim trium dierum, sed quatuor hebdomadarum itinere iubet eos egredi mundo, & totos se cõsecrare Deo: exercitia inquam quatuor totis septimanis continuis S. Ignatius adoptauit. Ergo si exercitia Minorellæ composuit, & vsu tractandorum animorũ edoctus composuit; doctos debuit, debuit simplices, diuites, paupereſ, implicitos mundo, & in sortem Domini coaptatos, otiosos & à negotijs feriantes; singulos inquam, si non integro mense, at plures saltem diebus plurimis detinere, & meditationibus exercere, vt vsu tractandorum animorum edoctus, quod cuique conueniens esset, definiret & scribere. Sed non abs re erit, illud huc accessere, quod habet Ignatius annotatione quarta, his verbis: *Expedit nonnunquam succidi hebdomadam quamcunque, vel extendi iuxta materiæ subiectæ rationem: solet tamen totum exercitiorum tempus, 30. dierum aut circiter spatio concludi*; apertissime enim innuit præteriti temporis moram & iam tum hæc ipsum scripsisse, postquam plurimorum exempla triginta dierum spatium meditationibus definijssent; solitique fuissent plures, dies totidem exercitijs impendere. At quis tam multum, tamque diuersum apud eum, populum legit hæsisse, dum hæreret Minorellæ? quis accedentes accepit triginta apud eũ dies meditationibus exerceri fuisse solitos? qui locus? quod tempus, quæ commoditas eis ea illos exercendi perfectione, vt ex eo vsu illos tractandi, posset alios in-

S. Ignatius in libello exercitiorum.

ſtruendi artem efficere? Locus certe inconſtans fuit; modo in hoſpitali; alias apud Dominicanos; nonnunquam in vicina ſolitudine; tempus breuiſſimum, trium vtpote menſium, poſtquam fuiſſet in ſpiritualia ingreſſus; & conſequenter commoditas incommoda fuiſſe debuit: certiorem etenim locum, & idoneum magis, ſpatium longius oportuit fuiſſe, vt hęc commode & opportune feciſſe potuerit: quid commode quid opportune dico? profecto improbabile, ſi non impoſſibile prorſus, eum potuiſſe tot homines, quot oportuit delibaſſe ſenſus, altero vel tertio menſe erudiſſe.

Deinde, quos ille animos aut informauit, dum Minoreſsæ eſset, aut informare & perpolire potuit? non informauit inquam: nam ſuæ vitæ ſcriptores nequaquam id nobis dicunt, nequaquam eos produnt, nequaquam tam frequentem concurſum omnis ad eum ætatis, omnis ingenij, doctrinæ omnis loquuntur: nequaquam eum meditationibus exercentem tam diuerſa hominum genera narrant: quod fecisent vtique, ſi aut verum illud, aut vlla illius vmbra, indiciumue fuiſſet. Nec eos contemplationibus erudire potuit, cum nulla auctoritate munitum, nulla Eccleſiaſtica dignitate inſignem, non ſacris ordinibus initiatum, ſic affluentem populum ſolitarium, ſecretum, plurimum meditationibus erudire, aut ſacer aut politicus magiſtratus tuliſset: periculoſæ aręæ negotium fuiſset, & ſuſpectum tum Eccleſiaſticis tum ciuilibus ſpeculatoribus, tantum infidelium & ſubditorum animos permittere. Quantum amabo Compluti, quantum Salmanticæ, Pariſijs quantam pertulit perſequentium rabiem, quod exercitijs ſuis nonnullos ad ſanctiorem vitam lucratus fuiſſet? An non exercitia ea Salmanticæ

rigo-

rigoroso examini subiecta fuerunt, quod aliquos ea edocuisset? Si igitur propter nonnullos, & paucos à se excultos his sacris exercitijs, tanta in eum & toties detonuit persecutio; profecto multò magis Minoressæ debuit ea rabies desæuire, vbi tantum oportuit ad eum paucis mensibus concursum fieri, vt ex vsu & experientia in ijs edocendis salubertimam & luculentam meditandi scientiam & exercitium artem tam insignem, tam variam amplamque, & ad hominum genera, conditiones, ætates, sexus se extendentem, extendere potuerit.

Nec mihi quis inficias eat, non edoctum Ignatium hoc vsu animorum tractandorum cum hæc exaravit: nam præter dictam Polanci, seu ipsiusmet Ignatij auctoritatem, certe idem ipse libellus exercitiorum id docet: & primo palmaris ille locus mox adductus: *Solet* (inquit) *totum exercitiorum tempus triginta dierum aut circiter spatio concludi*; luculenta etenim hæc faciunt experientiam, & animorum tractandorum vsum & exercitium: & tum demum libellum se composuisse, cum triginta diebus plures exercuisset. Vide dein, quæ de spiritualibus animi commotionibus, de consolationibus, de tristitijs habet: quam pulchre instruit eum qui exercitia traditurus est, vt desolatos & tentatos erigat, dirigatque, quomodo instruendus inexpertus Diuinarum rerum, quomodo exuenda illi molesta, anxietas, pudor, timor, honoris mundani ratio; qui discernendi spiritus; quid prima, quid secunda, quid tertia quattuor hebdomada meditandum; quam pulchre determinat omnia & discernit? hunc contra tentationes munit, illum enitentem ad aliqualem perfectionis gradum, hunc modici capacem fructus edocet. Tandem vt breui absoluam, si quis ea ex-

pen-

penderit attente, quæ annotationes, quæ regulæ totie s interſperſæ inculcant; quæ capita de exercitiorũ temporis diſtributione, de additionibus ad exercitia melius agenda, de pœnitentia & afflictionibus, de hebdomadarum diſtributione habent; quę de regula in diſtributionibus ſeruanda ingerit; imo ſi in manus ſumpſerit ipſum libellum exercitiorum, legẽs percurrerit conſideraverit, quocunque pignore certabo protinus aſſerturum, ab homine compoſitũ fuiſſe, qui intimos omne genus animorum receſſus, ſenſa, motus, inclinationes experiendo cognouerat, ſciuerat appetitus, affectuſque vniuerſos regere, corrigere, & in omnem partem verſari; qui inquam animorũ tractandorum fuiſſet vſu & experimentis edoctus. Quia autem nec ratio ſuadet, nec authoritas docet, nec geſta S. Ignatij oſtendunt, eum ſic eruditſſe, ſic inſtruxiſſe, ſeu exercuiſſe meditationibus huiuſcemodi confluentem populum; imo nec e populo aliquos triginta dierum ſpatio apud ipſum hærere ſolitos fuiſſe; vehemens præſumptio eſt ex ſcriptorum ſilentio, & ex defectu auctoritatis in ipſo, temporis anguſtijs, loci difficultate, quodque nihil audiamus contra eum Minoreſſæ motum propter exercitia, ſicuti poſtea Compluti, Salmanticæ, Pariſijs legimus; vehementer inquam præſumendum eſt, nullum his exercitijs, aut ſimili meditandi genere, ea methodo per tempora & materias tam pulchre diſpoſita perpoliſſe eum. Sed priuſquam vlterius oratio prouehatur iterum ob oculos pono luculentum illum locum, & qui ſolus ſufficit ad propoſitum noſtrum euincendum: *Solet* (inquit Ignatius) *totum exercitiorum tempus triginta dierum aut circiter ſpatio concludi*. Non enim à conuenienti, non ab vtili aut neceſſario, ſed à præterita experientia, &

con-

consuetudine argumentum ducit, & aphorismum statuit de triginta dierum spatio exercitijs assignando, at quia tam rara, si vlla, imo nulla experientia aut consuetudo fuit tradendi exercitia per 30. dies, dum Minoresæ esset; propterea statuendum est, nequaquam Ignatium, dum Minoresæ hæreret, experientia addiscere potuisse modum dirigendi animas in via & vita spirituali; nequaquam inquam, animorum tractandorum fuisse edoctum vsu: & consequenter concludē dum est, nequaquam libellum exercitiorum composuisse, dum hæreret Minoresæ.

Sed experientia etiam, seu experimenta spiritualis vitæ in eo apparatu fuerunt, quibus instructus venit S. Ignatius ad exercitia sua componenda: igitur quæ illa? suæne an aliorum vitæ? proprij, an proximorum spiritualis profectus suæ profecto vitæ, progressus proprij: nam aliorum animorum experientiā & cognitionem iam excluſimus: & tum Polancus in epistola seu præfatione nuper allegata experientiam illam internā vocat; tum alij omnes idem volunt. Quapropter quæ & quanta experientia illa interna fuerit, quæ vitæ spiritualis experimenta fuerint, examinandum est; videndum in quam est, quod in se vitæ genus expressit, quæ magnalia: & deinceps considerandum, an tam varius & multiplex illius viuendi tenor, vt ea omnia quæ in librum exercitiorum retulit, prius in se expertus fuisset. Fateor quidem magna illius facinora, multam virtutem, plurimam sanctitatem; lego crebros raptus, frequentes extases, illustrationes diuersas; accipio illum in se asperrimum, benignum in alios & misericordem; accipio diem nocti, diei noctem coniunxisse, meditando, orando, contemplando: demus propterea, quæ in libello docet de modo orandi, de contemplandi me-

tho-

thodo, didiciſſe illum in Minoreſsano ſtudio; dentur nonnulla meditandi argumenta in exercitia digeſſiſſe; exercitia diebus diſtinxiſse, dierumque penſum in puncta diſpeſcuiſse; plurimamque exercitiorum partem ab interna experientia eorum, quæ in ſe Minoreſsæ cognouerat, compoſuiſse: reſtabant tamen ea vniuerſa allata ſuperius, quæ aliorum animorum tractandorum vſus edocere debebat; experientia autem interna nõ poterat ſuggerere. Tametſi igitur plurima & egregia, non omnia tamen docere poterant eum experimenta proprie, & eorum quę in ſe geſta ſuerant experientia: & propterea experientiæ internæ adiungendus erat tractandorum animorum vſus, alijſque adiunctis Ignatius inſtruendus: quæ cum non habuerit Minoreſsæ commorans; nec dici poteſt nec affirmari Minoreſsæ eum libellum exercitiorum euigilaſſe. Sed hunc dicent tractandorum animorum vſum, experientiam hanc, Diuina vnctio ſuppeditauit: fateor, Diuinam potuiſse reuelationem, omnia vel ſuæ, vel alienæ vitæ experimenta ſupplere; ſuggerere inquam, quę tractandorum animorum vſus, quæ interno experientia edocere debebant: at vero non ſuggeſſiſſe, vel ipſi mecum ſcriptores Ignatiani fatebuntur: nam cum aliud ſit vſu & experientia, aliud reuelatione Diuina aliquid compoſuiſse; ſicut aliud eſt, infuſam cælitus doctrinam habere; aliud eadem pertinaci labore addidiciſſe; ſeu, aliud, ſacram hiſtoriam ex reuelatione vt Moyſes, aliud eadem geſta vt Philo, aut Ioſephus Iudæi ex hiſtorijs ex traditione prodidiſſe literis. Profecto cum Ignatiani confiteantur Fundatorem ſuum, ſeu ipſemet potius profiteatur vſu & experientia ſe edoctum exercitiorum digeſſiſſe libellum, neceſſe eſt ſimul concedatur, non ſola illumina-

Refellitur obiectio, Diuina reuelationis.

minatum reuelatione, ſcripſiſſe exercitia ſua; imo nec reuelationem, vices vireſque vſus & experientiæ ſuppleuiſſe: ſic enim non vſu edoctus, non experientia eruditus, ſed reuelatione ſola irradiatus exercitia elucubraſſet. Igitur vt concludamus: aut hoc chariſma Diuinum vſum hunc & internam experientiam ſuppleuit, aut non ſuppleuit; ſi affirmes, ergo falſum illud, vſu tractandorum animorum & interna experientia edoctum, exercitia ſua conſcripſiſſe; quod nemo Ignatianorum dixerit, niſi ipſum Ignatium, aut certe quod eodem recidit, Polancum, qui iuſſu, nutu, ſcitu, illius, ſcripſit, & illius mentem expreſſit, falſum protuliſſe concedant? Si dicas, vſus & experimentorum vices, reuelationem non adimpleſſe, tum habemus intentum; non Minoreſſe exercitiorum libellum Ignatius elucubrauit, ſed alio poſtmodum tempore, alio loco, cum vſus regendi & dirigendi animas, cum experientia interna, & experimenta vitæ ſpiritualis acceſſiſſent.

Dilemmate probatur intentum.

Probatur aliis Argumentis ex ipſo exercitiorum libello deſumptis S. Ignatium non ſcripſiſſe exercitia ſua dum eſſet Minoreſſæ. Cap. VI.

COgitaueram huc illa arceſſere & ipſo Ignatij exercitiorum libello, quę Theologum, eumque non e turba ſapiunt. Quã enim pulchre ille ad Theologiæ leges, normamque, ad Theologorum mentem digerit illa, quæ de cogitatione, de verbis: de operibus ſub initio exercitiorum docet: oſtendit quomodo ex ſcoria aurum, è praua dæmonis ſuggeſtione meritum elicitur, ſeu repugnando hoſti, ſeu eum triumphando quæ mora dein veniale, quæ mortale vulnus infligit

qui tandem gradus in assensu mortali reperiũtur. Nec minus doctum agit Theologum, cum de loquela disputat, definiens, quæ peccata oris, quæ otiosa verba, qui iuramenti comites, quo iurandum modo, quæ reuelatio culpæ alterius peccatum; quæ itidem peccato vacat; quomodo in opere peccetur. Quid de materia voti dicam? quid de Theologiæ in scholasticam & positiuam diuisione? de clerici cuiuscunque in Eleemosynis faciendi debito? Tandem quid de prædestinatione, de vi & efficacia illius; sicut & de gratia loquendum & sermocinandum. Hæc inquam, & alia plura ex Theologia hausta & interspersa libello suo, in animo mihi erat adducere, ad ostendendum; non potuisse illum in solitudine Minoressæ exercitia sua componere, qui & vsque adeo literarum rudis, vt nedum Theologiæ, sed nec grammatices cognosceret rudimenta prima: quomodo enim credibile, tam scite tam docte potuisse illum in materia Theologica definire? Si autem Minoresę hærens, Theologicis nondum initiatus esset; esset autem ijsdem eruditus, cum libellum exercitiorum edidit, vt prædicta ostendunt, plane argumentum est, Ignatium non ignarum Minoressæ, sed eruditum postmodum in alia antiqua Vniuersitate exercitia sua conscripsisse. Sed hæc nolui prolixius ingerere, ne ab aliquo audirem, Diuina charismata spiritus, quo copiose vsus fuerat Minoressæ abũde potuisse doctrina seu scientiã potius veritatũ illi suggessisse: nõ enim tãta hoc improbabilitate laborat tametsi fateor longe probabilius dici posse, eũ hausisse diuinitus Theologiæ, & Theologicorum dogmatum, quam latinæ linguæ notitiam; cum huius nulla videamus postmodum vestigia; horum autem nonnulla fortitan indicia reperiamus; indicia tamen speculati-

Literarum rudis, Theologica tractare non poterat.

uarum

uarum potius quam practicarum veritatum; Sanctiſſimæ Trinitatis ſcilicet, Incarnationis, & eiuſcemodi fidei & ſacræ ſcientiæ myſteriorum; non autem earum concluſionum, quæ proxime morum, vitæque dirigibilitatem, vt ſic dicam, reſpiciant. Igitur tametſi concedam, eo Ignatium perfectionis peruenisse, vt arcana illa de Deo, & Chriſto eius ſpecularetur; probari tamen mihi volo, aliam calluiſſe partem, quæ de peccatis pronunciat, de actionibus humanis edisſerit, de moribus, malo bonoque definit: necdum enim mihi conſtat, nec video qui poſſit demonſtrari, practicam eam Theologiam Ignatium intellexiſſe dum Minoreſsæ eſset; ac propterea non adeo difficili negotio quis mihi hinc perſuaſerit (quia tam rite & recte loquitur de practicis his veritatibus in libello ſuo) eum non exaraſſe librum ſuum dum habitaret Minoreſsæ, & practicas has veritates ignoraret.

Illuminatus Theologia ſpeculatiua non practica.

Et hoc nonnihil inde vim ſumit, quod more prorſus Theologico nonnunquam loquitur: vt verbi cauſa, cum Theologiam in ſcholaſticam & poſitiuam diſpeſcit; cum de ſindereſi agit, & alia his ſimilia habet; nam Theologum veriſimile eſt fuiſſe illum, aut linguam ſaltem latinam intellexiſſe, qui ſic more Theologis conſueta loquitur, qualis Ignatius Minoreſsæ non extitit.

Porro vt hoc eodem argumento perſiſtamus, vide queſo vndecimam regulam, vt cum orthodoxa Eccleſia ſentiamus, quam in hæc verba digeſſit: *Vndecima, doctrinam ſacram plurimi facere, tum eam qua poſitiua dici ſolet, tum quæ ſcholaſtica: ſicut enim Sanctis Doctoribus antiquis, Hieronymo, Auguſtino, Gregorio & conſimilibus ſcopus fuit, ad amorem & cultum Dei amplectendum animos mouere; ita peculiare*

Regula vndecima exercitiorum ſpiritualium vt

cum Ecclesia sentiamus.

est B. Thomæ, Bonauenturæ, Magistro sententiarum, & aliis recentioribus Theologis docta dogmata ad salutem necessaria exactius tradere atque definire prout conuenit suis temporibus & posteris ad errores hæresum confutandos; siquidem Doctores huiusmodi, vt sunt tempore posteriores, non solum Sacræ Scripturæ intelligentia præditi sunt, & veterum auctorum iuuantur scriptis; sed & cum influxu Diuini luminis, Conciliorum Sanctionibus & decretis, & variis Ecclesiæ Sanctis Constitutionibus, ad salutis nostræ subsidium feliciter vtuntur. Hactenus Ignatius; & tam aperte quidem ad nostrã sententiam astruendam, vt plane locus palmaris sit. Nam dicat mihi, vel parum æquus arbiter, an credat Ignatium literas nescijsse latinas cum hæc exararet? Augustinus, inquit, Hieronymus & Gregorius, consimilesque ad amorem: B. Thomas, & alij ad salutem necesaria tradunt; hi fidem: illi cultum propagant certe oportuit Ignatium, & Augustinum legisse, Hieronymum, Gregorium, consimilesque legisse, quin & intellexisse, vt eorum dicendi & docendi scopum, modum, & methodum posset declarare; & luculentissimum hoc ex ijs verbis: Posteriores nedum veterum auctorum iuuari scriptis, sed influxu Diuini luminis; Concilijs dein, decretis & Sanctionibus Ecclesiæ vti. Quod inquam, manifestum facit, nedum eorum & legisse Ignatium & intellexisse opera, sed etiam plurimum in ijs obseruandis, notandis & conferendis operam collocasse. At quo amabo te idioma te scriptus Augustinus, quo Hieronymus, quo Gregorius, Thomas, Bonauẽtura, Magister sentẽtiarum? an non omnes latino? Si hoc; quomodo eos aut eorum scripta intellexit Ignatius, cum latinam linguam non intelligeret? quomodo statuere posset, quomodo dice-

dicerent, qui quod dicerent ignorabat? ignorabat enim quid dicerent, qui linguam ignorabat in qua dicebant.

Insuper & illud certo ausim affirmare, Ignatium ante conuersionem, militem & literarum rudem; iam vero in principio conuersionis orationibus, meditationibusque, non Theologicis veritatibus operam dantem, nedum non intellexisse prefata Sanctorum ac Doctorum opera; sed ne legisse ea, priusquam Minoresa discessisset, imò forsitan non vidisse; sed pergamus.

Regulam septimam in distributionibus faciendis seruandam, sic digessit Ignatius: In tertio Carthaginensi Concilio, in quo interfuit S. Augustinus decretum fuit, *supellectilem Episcopi, vilem ac pauperem debere esse*. Quo iam confugiendum? ad reuelationes, ad miracula? quis Ignatio rudi & imperito non reuelauit modo sensum Concilij in ignota ei lingua conscripti, sed tertium illud ordine Concilium fuisse, tum Augustinum ei subscripsisse? Certe Cardinalis Baronius eam Carthaginensem Synodum appellat quintam, ex qua laudatus ab Ignatio Canon desumptus fuit. an reuelationi Diuinæ falsum subest? an qui sensum & ipsissima verba Concilij vere inspirauit, falsum numerum suggessit? certe res clara est. Si Concilium, verba Concilij, Augustinum scripsisse, docente & reuelante veritatis Spiritu cognouisset, nunquam errasset in Conciliorum numero; sed hoc non vrgeo, cum error forsitan typographi extiterit, qui numerum pro numero, tertium pro quinto substituit; forsitan inquam; nam qui librum quo vtor, exercitiorum, in ipso Collegio Romano, Anno 1596. impressum considerauerit, & numerum Concilij ter-

Regula septima.

Cardin. Baronius annal. to. 5. ad ann. 398.

Conuincitur, Ignatium ex reuelatione non scripsisse.

tium scilicet, non votis aut cyfris, vt vocant, sed literis totidem scriptum esse; certe pronus erit vt dicat, non impressorem sed auctorem Iy tertium, posuisse: sed his non immoror: nam abunde sufficit assumpto nostro probando allegasse eum ipsa Concilij verba, tam recte, tam apposite argumento suo, & cognouisse Augustinum ei subscripsisse. Nam cum Concilia essent latine scripta, latinam linguam oportuit Ignatium calluisse cum ista scriberet; eam autem nesciebat Minoressæ.

Apparitio duodecima.

Non absimile est, quod de duodecima apparitione docet; *apparuisse Christum* (inquit) *Iosepho ab Arimathia, legitur in hagiographis quibusdam, & verisimile est, & meditatu pium*. At vnde Ignatio vel notitia discernendi, vel scientia intelligendi hagiographa? solitum hic occurrit argumentum & recurrit: nam legere ille si potuit; intelligere tamen non potuit hagiographa latine scripta nec ea discernere.

Ignatius rectores quoque animarū instruit.

Tandem Ignatius in eo suo libello, non eum modo qui exercendus est & meditationibus perpoliendus, sed illum etiam qui exercitia traditurus est instruit; idque multoties & multa eruditione docet, qui regendæ animæ, quomodo versandæ in omnem partem, quomodo præuidendus, quomodo præueniendus incursus hostium; quid prima quid secunda hebdomada agere debeat cum exercitando, eumque in omnē euentum tractare. At certe longissimum puto à S. Ignatio ab fuisse, dum esset Minoressæ, ita se magistrū profiteri, vt ipsos etiam magistros edocere voluisset: demus, voluisse animas regere; at rectores animarum instituisse, prima eius proposita, primam mentem, quam habuit dum Minoressæ hæreret, non sapit; prima inquam proposita; nam ex illius vitæ scriptoribus

Ribadin. lib. 1. c. 2. Maphe. lib. 1. c. 3. Orland. l. 1. n. 13.

cer-

certum est, certi nihil constituisse Ignatium sub conuersionis initio, nisi vt acerrime se discruciaret, vt vindicaret acerrime peccata vitæ præteritæ; seque generosa quadam indignatione conficeret, vt sic quam maxime Deo placeret. Quinimo etiamsi Hierosolymitanum cogitasset iter, id tamen suscipiendum putauit eodem præcipue mortificationis studio: deinde vt se his locis sanctis Christianorum auxilio, barbarorum conuersioni impendens, martyrij coronam posset lucrari. tum vero cum sacris Hierosolymorum locis excluſus esset, & in Hispaniam reuersus, se totum proximorum vtilitati consecrare decreuit: tum repueraſcere cæpit, elementarius fieri; & spinosas grāmaticorum præceptiunculas haurire; tum inquam serio applicuit se ad alios adiuuandos: & hoc inter alios Maphæus docet his verbis: *Interea Ignatium Hierosolymitana commoratione prohibitum, grauis coquebat cura, quid ageret, quodnam potissimum vitæ genus eligeret; ac multa secum agitanti venerat illi dudum in mentem, Cœnobium aliquod ingredi maxime dissolutum, vt ibi dum lapsam religionis disciplinam, & verbo & exemplo conaretur ad veterū instituta redigere, & cæteris aliqua re prodesset, & ipse interea (quod necessario futurum videbat) ab iis qui restringi se nollent, multa pro Christi nomine pateretur: sed incertum num id maxime ad Dei gloriam pertineret, quam videlicet vnam in omni actione spectare consueuerat, multa ac diligenti prece & ieiunio explorat Diuini Numinis voluntatem, ac diu perplexus, in eam denique mentem, sese diuinitus plane sensit impelli, vt sine dubitatione statueret; primam operam suam, qualis qualis esset, nequaquam intra vnius familiæ cancellos includere; deinde quo latius pateret vtilitas ac fructus animorum, eiusdem consilij ac propoſi-*

Quando Ignatius didicerat literas.

Mapheus l. 1. c. 16.

ri idoneos aliquot adlegare socios atque adiutores: postremo vt sine hominum admiratione versari in adiuuandis hominibus posset, ad Sancti Spiritus vnctionem, doctrinæ quoque subsidium, ac literarum cognitionem adiungere, præsertim, quod ea commendatione facultatem etiam repetendæ atque obtinendæ Hierosolymitanæ prouinciæ (cuius illi cura viuebat in pectore) facile se ab Ecclesiasticis magistratibus aliquando impetraturum sperabat. Et quidem quod ad literarum studia pertinet, cum nondum intelligeret quam illa sibi totum hominem fere vindicent, ratus posse interim se animis quoque adiuuandis vacare, Minoressam ad gregem illum suum reuerti decreuerat, vbi & sparsa in hominum mentibus, pietatis virtutisque semina ad bonam frugem perducere, & Cistercienſis cuiusdam Monachi, Spectate sanctitatis ac doctrinæ viri, tum consuetudine perfrui, tum industria erudiri magnopere cupiebat.

Quis igitur mihi persuadebit, eum, qui Minoressæ agens potius ad macerationem sui quam aliorum instructionem, se accinxisset: qui & Hierosolyma rediens, nondum sibi certum genus vitæ constituisset, sed alij se erudiendum tradere cogitasset, qui dubius adhuc erat, quid potissimum ageret; voluisse inquam, illum pro alijs regendis tam egregias regulas, tam aptas tam præstantes conscribere? audeo dicere si improbabile valde, imo prorsus ab omni ratione abhorreat, eum conscripsisse aphorismos & capita pro ijs instruendis & dirigendis, qui exercitia facturi erant, nulla sane specie probabilitatis niti, nullum habere colorem videtur apparentiæ, sumpsisse in se illius magisterium, qui aliorum magister esset futurus; sileo illius humilitatem; sileo

vni-

vniuerſa illa, quę contra ipſam exercitiorum ſcriptionem ſuperius adduximus; & illud vrgeo, cum de Societate ſua erigenda non cogitaret Minoreſsæ hærens, ſed poſtquam Hieroſolymis excluſus, in Hiſpaniam reuerſus fuiſſet; profecto non video, quomodo ijs inſtruendis inuigilare voluerit, de quibus congregandis nondum apud ſe decreuerat: ſi non ſuos ſed alios quoſuis animarum rectores eum dixeris, erudijſse; regero; non ea experientia illi, non is animorum vſus, non doctrina, non cognitio literarum, non reliquus apparatus, qui eum ad hæc ſufficientem, idoneum & aptum redderet: & in horum omnium confirmationem lege, per lege & expende illius acta, geſtaque Minoreſſę, & nihil prorſus inuenies, quod vmbram coloremue; nihil inquam inuenies in Ignatio, quod arguere poſſit, ſumpſiſse illum in ductores animarum, Doctoris munus; vt ſi alia non ſuppeterent argumenta ad intentum noſtrū probandum, vel hoc vnum abunde ſufficit, vt concludamus, quoniam ipſe Ignatius in libello ſuo nedum eos qui exercitijs excolendi ſunt, ſed & eos inſuper, qui alios habent debentque excolere, tam apte docte, perite inſtruit eruditque: propterea certiſſimum eſse, non compoſuiſse illum exercitia ſua, dum Minoreſsę commoraretur; vbi, vt illius loquuntur geſta, cura ei ſeipſum exercendi, non alios docendi fuit; vbi diſcipulus, non doctorum voluit doctor haberi, vbi præcipuum & vnicum deſiderium ſe macerandi; Hieroſolymitanæ profectionis & ibidem commorandi voluntas; cuique poſt reditum anxietas de vitæ genere ſuſcipiendo, animus Ciſtercienſi Monacho (forſitan Montiſſerratenſem Monachum Clanonium intelligit) ſe ſubijciendi; & ſuper om-

Ignatius Minoreſſæ alios inſtruere non poterat probatur.

Nec exercitia ſua ibi compoſuit.

omnia, imperitia eorum, quæ necessaria videntur ad hanc scriptionem fuisse: quæ omnia docent, longe illum ab fuisse, vt cogitaret de ijs erudiendis, qui aliorum in his exercitijs magistri essent futuri.

Statuamus igitur & concludamus, cum ex mente ipsius Ignatij, tractandorum animorum vsus; cum, docente Summo Pontifice, sacræ paginæ cognitio & experimenta spiritualis vitæ necessaria fuerint illi, qui exercitiorum libellum euigilauit, atque eundē Theologum extitisse, legisse & intellexisse Sanctos Patres, Doctores, Concilia: Ignatius autem vsum hunc tractandorum animorum, sufficientia experimenta spiritualis vitæ, Diuini huius textus scientiam non habuerit dum Minoresæ ageret, non calluerit latinam linguam, necessariam ad doctores ad Sanctos Patres, ad Concilia intelligenda, Theologiam non sciuerit, macerare se proposuerit, & aliorum discipulus non magistrorum magister fieri: propterea, inquam, concludendum est; quod & acta eius, gestaque Minoresæ, alsaque quę supra adduximus, constituunt & suadent, Ignatium dum Minoresæ commoraretur, libellum suum exercitiorum, nedum non scripsisse, sed nec potuisse conscribere.

Conclusio de libello Ignatij.

Si petas, quo igitur Ignatius tempore, quoue loco exercitia hæc exarauit? Respondeo, de hoc ipsosmet Ignatianos consulendos, qui ex authenticis documentis id ostendant. illud sufficit instituto meo, demonstrasse, nequaquam ea Minoresæ composita, vt perperam volunt, qui de Ignatij rebus gestis scripsere.

Dicet tamen Antonius Iepius, qui ex professo tractat deciditque hanc controuersiam; non tam suo argumento ductus, quam nixus traditione perpetua

Mo-

Monachorum Monasterij Montiserrati; eorumque testimonio, qui etiam consulit de hac re, illi quidem astipulati fuerunt: Ignatium exarasse libellum suum, postquam Hierosolymis redijsset; Minoresse vero vsum fuisse exercitatorio Garciæ Cisnerij, eiusdem monasterij Montiserrati Abbatis.

S. Ignatius, ab exercitatorio Garciæ Cisnerij Abbatis Benedictini, plura in sua exercitia transtulit.

Caput VII.

VEnerabilis Pater Garcias Cisnerius ea resplenduit sanctimonia vitæ, ijs Spiritus Sancti charismatis dotatus & donatus fuit, vt Antonius Iepius, fidelis admodum historicus, existimet eum, heroibus, virisque celeberrimis Benedictini ordinis conferendum: & Hieronymus Lauretus Montiserrati Monachus, qui vitam eius ab his acceptam, qui cum eo cõuersati sunt, elucubrauit: *Frequentissimum* (asserit) *fuisse illi de contemplatione & oratione sermonem. De hac audire alios iucundissimum ei erat; hanc mille præconijs extollebat; de hac prædicabat; de hac scribebat; ad hanc omnes exhortabatur, monachumque non esse asserebat eum, qui hanc non ardenter amaret: propterea & eos codices semper in manibus habebat, qui deuotionis affectum in animo incendere valerent. Cumque iuxta Domini sententiam, bonus homo de bono thesauro cordis sui proferat noua & vetera; ipse ex tanta plenitudine, memoriam abundantiæ Suauitatis Diuinæ eructauit; cũ videlicet rogatus à fratribus, vt eos plenius in exercitio contemplationis instrueret, duos edidit libellos; alterum exercitatorium vitæ Spiritualis; alterum directorium horarum Canonicarum; in quibus si quis ex animo exerceri*

Anton. Iepius cẽ tur. 5. ad an. 888.

Lauretus Vit. Garc. Cisn. præfixa illius exercitatorio.

teri voluerit, experimento cognoscet quantum in vita spirituali proficiet, & in quantum cælestium amore inflammabitur, & in mundi contemptum adducetur: solebat ipse sic in cælestium contemplatione suspendi, introductus in cellam vinariam Sponsi, vt sæpe extra se positus, non valeret indicijs euidentibus celare, quid intra se ageretur. Hæc Lauretus: latius deinde prosequens tanti virtutes & eximiam sanctimoniam viri; qui cum Monasterium Montisserrati septendecim annos sanctissime gubernasset, anno supra millesimum quingentesimum decimo post Virgineum partū felicissime obdormiuit. Porro librum hunc exercitatorij, cum aliquoties prælo fuisset euulgatus, & omnium tritus manibus suppresso auctoris nomine, Hieronymus Lauretus Syluæ allegoriarum nobilissimus compilator, ac Patrum Ioannis Clanonij & Michaelis Fornerij, qui S. Ignatium erudierunt, contemporaneus, addito Auctoris nomine, illiusque præfixa vita Barchinonæ curauit edi; editionis causas his verbis afferens: *Adde quod libellus hic aliquoties excusus sine nomine Auctoris, vt rei iam derelicta ab alijs vsurpabatur, & auctori, nescio cui ascribebatur: quare æquum fuit, ipsum restitui proprio Auctori, ne amplius vt ouis perdita vagaretur.*

Lauretus vbi supra.

Porro & eidem exercitatorio Laurentius Ayala Theologus Benedictnus, eundem Abbatem Garciam Cisnerium, auctorem astruxit; nam in eiusdem Cisnerij vita, hispanice ab eo conscripta, à nobis vero donata latio, sic habet: Vnum illud silentio prætermittatur nolo; quod spiritualis vitæ exercitatorium (vt optime similium lectioni deditis patebit) omnium huiusce materiæ librorum, qui ex tunc in posterum prodiere, fons existat, & conditorium, vbi omnis contemplatiuæ vitæ scriptorum doctrina est con-

Lauren. Ayala in vita Cisnerij edita Vallisoleti 1599.

gesta:

gesta: ex hoc, orationis, vitæ contemplatiuæ, & exercitiorum spiritualium limpidos, purosque Venerabilis Pater Ignatius de Loiola in Montisserrati sanctuario latices ebibit, in quibus sanctam Societatis Iesu Religionem firmauit: huius rei veritatem aperte satis norunt exteræ nationes; dum enim tanti faciunt, quod earundem sermone translatum (vt ipse Italice vidi, & esse etiam Gallice audiui) in eo volentibus vitæ contemplatiuæ glorioſos fructus suscipere, bibendum ministrent. Quod si Auctoris nomen in eo desideretur; nec execritatorium magnum, ex quo est hoc breue compendium exscriptum, illud habeat, non alia commendatur ratio, quam quod tanta Patris Fratris Garciæ humilitas sancto libro suum nomen inserere renuit, at à præpoſita ei introductione satis insinuauit, Monachis, & à Monacho Benedictino scribi. & cum ipse Romæ anno 1592. Venerabili Patre Canonico Regulari & Procuratore sui celebris Monasterij S. Crucis Conimbricensis viro sane quam spirituali vteter, affirmabat, thesaurum magnum, librum scilicet vitæ contemplatiuę exercitia continentem, atque horum multitudinem, qui de hac re potissimum scripti erant, excusantem inueniſse; adiectisque in eum pluribus laudum encomijs monstranti, cum auctorem aperuissem, maximo affectus gaudio, quod Hispaniæ Religioniſque S.P.N. Benedicti tam sublimis debetetur doctrina eloquens; hoc à Melchiore Lopezio, Poeta Lusitano, eam ob causam, notari potijt Epigramma:

Vis scelerum delere notas? vis lumine mentem
Lustrari? vniri vis & amore Deo?
En documenta tibi Cisnerius ordine pandit,
Perlege, volue animo, pectore conde tuo

Nempe

Nempe canit blando monens vt gutture Cygnus,
Sic mundo moriens, hos dedit ille modos.
Tu lacrymas da, corda para, Christi ignibus arde,
Quod Garcia docet, gratia posset dabit.

Talis igitur tantusque Garcias exercitatorij auctor, Exercitatorium ipsum tantæ doctrinæ & excellentiæ fuit. Ex eo autem transcripsisse plurima in suorum libellum exercitiorum S. Ignatium, hoc Ayalæ testimonium videtur insinuare, dum exercitatorium Garciæ vocat conditorium, fontemque omnium huiusce materiæ librorum, qui ex tunc in posterum prodiere: sic enim exercitia Ignatiana cum tractent hoc argumentum, materiamque ex eo oportuit prodijsse. Clarius dein ingerit illud, ex eo asserens, orationis, vitæ contemplatiuæ, & exercitiorum spiritualium limpidos puroſque Venerabilem P. Ignatium de Loiola in Montiserrati Sanctuario latices ebibisse, e quibus sanctæ Societatis Iesu religionem firmauit. Respexisse videtur Ayala Ribadineiræ inquientis verba: Exercitijs spiritualibus Societatis Iesu institutionem, acceptam ferri debere; vt quibus hic exercitijs institutionem, ijs ille firmamentum seu fundationem Societatis deberi asserat: eaque dicat ab exercitatorio Garciæ desumpta. Tandem expressis fatetur verbis Ayala, exercitiorum spiritualium limpidos latices è Garciæ libro Ignatium ebibisse; quod hoc ipsum est quod probare contendimus.

Arnold. Vvion, ligni vitæ lib. 5. cap. 10.

Ayalæ Arnoldum Vvion adde, non contemnendi nominis Scriptorem, qui per hæc verba sententiæ nostræ adstipulatur: *Primus* (inquiens) *Congregationis (Vallisoletanæ) auctor fuit, præfatus D. Garcias à Cisneros, qui doctrina non minus quam sanctitate florens, præclaros illos duos tractatus edidit; ex quibus, maxime ve-*

ro ex postremo, Reuerendi Societatis Iesu Patres omnem suæ Religionis perfectionem, meditandique modum sumpsere; videlicet directorium horarum canonicarum, in 10. capita diuisum; & exercitatorium vitæ spiritualis in 69. capita partitum; qui tractatus hactenus suppresso eius nomine, sub nomine Benedictini Monachi, excusi sunt primum Parisijs, deinde Venetijs.

Et hoc optime animaduertit Magister F. Dominicus Grauina Ord. Prædicatorum vir sane editis libris clarissimus in libro Vox turturis inscripto, de S. Ignatio loquens his verbis: *Exercitia quoque spiritualia, quæ à Diuino illo institutore, Gallo, Ioanne Clanonio apud Montemserratum Cœnobita Benedictino, partim didicerat, partim vsu & exercitatione notarat, maximo animarum fructu composuit & euulgauit.* Quæso quæ fuere illa quæ Diuinus ille Institutor Ioannes Clanonius, Ignatium docuit? Plane tum attestante Iepio, tum Ribadineira fatente, vt supra vidimus, eundem Ignatium idem Clanonius è Garciæ Cisnerij exercitatorio erudiuit.

His succenturiatur Iepius: *S. Ignatius* (inquit) *cum in virum euasisset perfectum, artiumque & Theologiæ doctissimum, ingenium spiritu, potentem opere, sermone & scripturis, posuit, sustulit, addiditque plurima exercitatorio, quod ei apud Montemserratum datum fuit, illudque ad institutum suum, modumque viuendi accomodauit.* Hæc Iepius, quæ in communem Montiserratensium Monachorum traditionem refert.

His accedit Auctoritas Reuerendissimi D.P. Henrici de Zyppe, doctissimi Abbatis, ob defensum præclare magni Gregorij Monachatum notissimi, mihique ob paria studia propugnandi Benedictinum ordinem charissimi: hic inquam in erudito opere suo, cui

Henricus Zyppe, in præfatione libelli, an

magis expediat, &c.

cui titulum fecit; An magis expediat deuotam in mũdo, quam religiosam in monasterio vitam agere; & an Sancta Scholastica Soror S. Benedicti fuerit speculum Castitatis religiosæ, an vero modernę deuotionis filiarum in sæculo castitatem seruantium (nonnemo enim pro rostris, sanctissimam illam fœminam, abegerat à Benedictino grege, quam ipse reducendam putauit) sententię nostræ sic adstipulatur. *Nouit Catholicus orbis integra Collegia, integra Templa Societati eius (S. Ignatij) à Benedictinis extructa publice extare; integra quoque Monasteria Benedictina Societatis vsibus cessisse; etsi alia enumeranda essent: an non merito dicere possumus S. Ignatium apud Benedictinos commoratum, magnam partem Spiritualium suorum exercitiorum, & pleraque alia ab illis hausisse: nec mirum, cum ipse in Monasterio Montisserrati, aliquando habitu Laicorum vestitus fuerit,* cumque immitem immeritãque persecutionem, visum fuisset nonnullis, in libellum eum excitare; respondit: *hæc se scripsisse ex relatione cuiusdam religiosi Benedictini, qui in Monasterio Montisserrati professionem emiserat, & retulerat traditionem monasterij sui: & partim etiam ex narratione alterius viri docti, qui similiter in Hispania inter Benedictinos professus, cohabitauit vni monacho seni 103. vel 105. annorum, qui vidit S. Ignatium in eo Monasterio agentem.* Et mox: *Mirum non est se dixisse S. Ignatium partem exercitiorum suorum à Benedictinis hausisse; quod etiam Senes quidam Patres Societatis, libenter, olim professi sunt; dum plus semel ipsi (scilicet Domino Abbati) dixerunt, suum Ordinem multum Benedictino Ordini debere; quod eorum S. Pater Ignatius multa Spiritualia à nostris hausisset, & ad suos transtulisset; etsi iunioribus nunc hæc displiceant:* hæc ille.

Idem, in considerationibus super eodem libro.

Anto-

Antonium Aluaradum adiunge, virum doctissimũ è Benedictina familia, & Ecclesiasticum insignem, in hæc verba: *Præcipuum mihi motiuum scribendi præsentem librum* (scilicet cui titulum fecerat, artem bene viuendi) *fuit, quod legissem sæpius* (*prout solenne est in Benedictino ordine*) *opusculum doctissimi & sancti viri P. Garziæ Cisnerij Abbatis insignis Monasterij B. Virginis Montisserratensis, qui primus digessit formamque dedit his exercitijs spiritualibus, e cuius libro veluti e forma & exemplari desumpserunt opera sua, qui exinde scripserunt: & in illis notissimus est Beatissimus P. Ignatius de Loyola fundator Societatis Iesu; qui accedens ad Serratum montem, post generalem suorum criminum confessionem Patri Ioanni Clanonio, qui ei aures confitenti præbuerat, quicquid meditabatur de meliori vita instituenda, communicauit, atque vt vota sua consequeretur, accepit ab eodem Patre, spirituale exercitatorium P. Garciæ Cisnerij; vtque se exerceret in eo, minus fuit Minoressam tribus leucis distantem Serratomonte; ab eodem Clanonio ex his principijs eaque lectione huius exercitatorij hausit Beatissimus Pater Ignatius tam glorioſa media finesque.*

Antonius Aluaradus in præfa. libri de arte bene viuẽdi.

Et tandem M. Antonius Scipio in hæc verba: *Sub initio suæ conuersionis, votiua peregrinatione ad Montem serratum profectus, cum in Aede, tota Hispania præcipuo Deiparæ cultu celeberrima, totum se Deo, eiusque sãctissimæ Parenti, traducta in precibus nocte, denouisset, tũ apud vnum & alumnis D. Benedicti quibus concredita est sacratissimi Templi cura & patrocinium) totius vitæ superioris noxas per sacram confessionem triduo deposuerat; multis etiam præsidijs instructus, non in præsens duntaxat, ad animi expiationem ac medelam; sed ad eum sanctitatis apicem, quo postea euasit, securius faciliusque*

In appẽdice ad Ioãnem II.

conſcendendum. Si quidem à Ioanne Clanone Gallo, eximiæ virtutis & innocentiæ Canobita (cui de peccatis confeſſus fuerat) ſpiritualibus exercitijs diligenter excultus eſt, ijs ipſis, quæ Garcias de Ciſnedo admirandæ Sanctitatis Abbas, & Monaſticæ diſciplinæ non in ea tantum domo, ſed per omnem Hiſpaniam felicissimus inſtaurator, paulo ante cõcinnauerat, quæque iam inde ab anno MD. typis euulgata, in Caſinati bibliotheca aſſeruantur. Ignatius itaque hominem nactus, qualem ſalutis ipſius rationes requirebant, & ipſe optabat maximè, Ioanni ſe totum aperuit; quæ mente agitaret, quæ deſignaret in poſterum de procurandâ plurimorum ſalute, deque genere vitæ huic rei accomodato; ac nominatim de ſuſcipienda Hieroſolymitana peregrinatione, cum eo contulit omnia; de nutu ac ſententia ipſius ſtabiliens, quicquid deinceps admirabili ſtudiorum, actionumque conuenientia ad obitum vſque eſt executus. Quin etiam Manreſæ (oppido 3. circiter leucas à Religioſiſſima æde diſtanti) ſubſiſtere aliquandiu decreuit, vnde ſæpius & commodius Montemſerratum repeteret, ſeu Virginis colendæ ſtudio, ſeu ſpiritualis Patris conueniendi neceſſitate permoueretur.

Horum igitur grauiſſimorum virorum teſtimonio, cui non video quod intercedat, cum luculentum ſit S. Ignatium mutuatle plura ab Exercitatorio Ciſneriano, quæ in ſua exercitia tranſcripſit. Idem denuo tum ratione tum argumento ab ipſorum Ieſuitarum confeſſione deſumpto comprobemus. Et quidem ſi petamus à Ribadineira, num S. Ignatius notitiam habuiſſet exercitatorij Ciſneriani? num illo vſus fuerit? Si multum profecerit per illud? Si ex illo S. Ignatium erudierit Clanonius? fatebitur vtique, & Ieſuitas omnes teneri profitebitur ad gratias Deo agendas, quod tantos per eum librum progreſſus, Clanonio, eũ erudien-

Pet. Ribad. epiſtola ad P. Frãc. Coronã. extat a-

diente fecerit. Si petamus ab Orlandino, vnde, ea hauſerit S. Ignatius, Pater ſuus, quæ in ſuo habet libello exercitiorum? Partem inquiet, vſum & exercitationem ſuggeſſiſſe: partem fuiſſe ea quæ Diuinitus illius Inſtitutor (quem extitiſſe Clanonium meliori iure interpretatur Grauina, quam cauex ſtructor negat) docuerat. Ergo ſi ex ijs exercitia, ſua Ignatius compoſuit & artem effecit meditandi, quibus eum inſtruxerat Clanonius; hic autem docuit & erudiuit eũ e Ciſneriano libro; certe ex hoc ipſo libro libellum Ignatius compoſuerit ſuum, ex ipſo effecerit meditandi artem; ex ipſo plurima in ſua exercitia tranſtulerit. Sed ad oculum hæc melius non patebunt, quam ſi vtriuſque ad inuicem libellum comparemus; eadẽque eodem ordine & methodo conſcripta oſtendamus in exercitijs S. Ignatij, quæ in exercitatorio Ciſnerius enim Anno Chriſti MDX. conceſſit ſatis ante annum milleſimum quingenteſimum librum edidit ſuum; cum non ante MDXXII. annum S. Ignatius ad meliorem frugem vitamque conuerſus fuerit.

pud Iepium ad an. 888. *Probatur ex ipſorũ Iſuitarũ confeſſione.*

Conferuntur ad inuicem ſcopus, titulus & ſtilus exercitiorum S. Ignatij & exercitatorius Abbatis Ciſnerij. Caput VIII.

PLurima in hoc vtroque libello conueniunt, differunt plurima; tranſcripſit enim multa S. Ignatius, non exſcripſit vniuerſa. A ſcopo ſeu fine auſpicabimur vtriuſque; ſic namque conuenientia vtriuſque & differentia manifeſta fient: patebit inquam, cur deſumpſerit aliqua Ignatius ex libro Ciſnerij; alia vero reliquerit.

Propoſitum ſeu Scopus Ciſnerij fuit, tractare, qua-

Ciſner. in præfatio ad ſuum exercitatorium.

liter exercitator & vir deuotus debeat exercitati ſecundum illas tres vias, ſcilicet, purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam; & qualiter certis & determinatis exercitijs per omnes dies hebdomadæ, meditando, orando, contemplando, gradatim poterit aſcendere ad conſecutionem optati finis, qui eſt, animam vniti Deo; quod ſancti veram & abſconditam Sapientiam appellant. Igitur Ciſnerius ſublimi admodum ferit ſydera vertice; inſtruens primo hominem, iudicium de ſe, iuſtitiamque in ſe exercere; lugere in quam peccata ſua & iniquitates, & ab ijſdem ſe auertere, & vias ſuas cuſtodire; vno verbo; per lacrymas gemituſque & aſperitates purgare ſe; donec ſtrenuitatem contra negligentiam, ſeueritatem contra concupiſcentiam, benignitatem contra nequitiam adeptus fuerit: mundatam dein animam à rubigine malorum operum, aſſurgere docet ad illuſtrationem Diuinæ lucis; quatenus feliciſſimos illius & fulgentiſſimos radios capere valeat; vt ſic tandem vnita Creatori ſuo, exultando de perfectionibus illius, ei ſoli placere deſideret, nunc ipſum magnificando, nunc laudando nunc admirando, totus langueat amore eius, vt poſſit illud Canticorum dicere; *anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt*; aut illud; *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, nuntiate dilecto quia amore langueo*; Scilicet docet purgatam & illuſtratam animam per intimam recollectionem, internum ſilentium & ſolitudinem, amoroſam vnionem, mentem ſuam in Deum eleuare, tranſcendere creata vniuerſa, ad eum tendere, & in eo qui ſolus Sanctus, ſolus Dominus, ſolus Altiſſimus, Perfectiſſimus, amoroſe velut in ſuo centro quieſcere. Hic ſcopus, hoc propoſitum Ciſnerij fuit.

Cantica Canticorum.

Ignatius autem mentem, Scopumque aperiens

ſuum,

fuum, sub initio mox promittit, *exercitia quædam spiritualia, per quæ homo dirigitur, vt vincere se ipsum possit, & vitæ suæ rationem, determinatione à noxijs affectibus libera instituere*. Concludit igitur se intra cancellos purgatiuæ vitæ, quæ in noxijs affectibus eradicandis, seipsum, suisque passionibus vincendis potissimum versatur. Et certe si Ignatius alicubi instruit hominem, vt assurgat ad illuminatiuam vitam, non tantus in ea, quantus in purgatiua docenda est; nam tametsi multus sit in vita, gestisque Christi prosequēdis, quod viæ illuminatiuę ait respondere; hoc tantum fit primo eorum trium modorum, quos ingerit Cisnerius, vt scilicet dulci quodam & cordiali affectu quis adhæreat Christo, comitetur Christum, circa Christi vitam & mortem affectatus; vt sicut hoc modo sequentes Christum, omnia mundana, videlicet diuitias, parentes, & alia cuncta reliquerunt: sic ipse totum sibi ab amore vniuersæ carnis ac carnalis illecebræ vendicet, & cor extendat suum in affectum & amorem humanitatis, vt omnis affectus suus & appetitus ad dulcedinem humanitatis Christi transferatur, & ad eundem velut Regem aliquem subditos euocantem ad bella imitandum. At hic modus incipientium est, spectans potissimum ad purgatiuam viam. Claram igitur differentiam inter vtrumque videre est: Vias enim Cisnerius purgatiuam, illuminatiuam, & vnitiuam docet: Ignatius vix vltra purgatiuam procedit. Ostendit hic quomodo vincendi affectus praui, quomodo vita regenda & dirigenda, quomodo fugienda peccata: ille, & peccata eluere, & ad Diuinos assurgere radios monstrat, & vnum cum Deo spiritum per amorosam coniunctionem fieri; & huius si rationem velimus inuestigare, ea for-

Ignatius in princip. post primas annotation.

In primis annotation. 10. annotationem.

sitan non incógrua reddi potest;nemo homo est,quacunque ætate,quocũque ingenio,doctrina,qualitate, cõditioneue existit, seu otio abundet ille, seu negotijs implicetur,qui peccata deflere;vitare defleta,vitãque rite & ad Diuinæ præcepta legis instituere non possit, aut nõ teneatur; cum ad altiora, imõ altissima illa,ad illuminatiuam,ad vnitiuã viam ascendẽre,imo vacare illis, non ita omnium est: Hæc enim secessum & otia quærunt, solitudinem externam interiamque;& longe plura, quam negotijs & sæculo implicatus consequi facile possit: Igitur Ignatius, qui omnium voluit spirituali profectui inseruire, eorumque potissimum, quorum status proximior, magisque obnoxius peccato erat, & ad Diuinas illas tractationes recipiendas se præparare; ad beatissimam cũ Deo vnionem aspirare non poterant, potissimum docere voluit viam purgatiuam & incipientium, ad quam omnibus patebat accessus; non proficientium aut perfectorum; quæ tantummodo paucorum est. Cisnerius autem cum eos præsertim susciperet erudiendos, qui in Monasterio erant, qui abundabant religioso otio; quos & Religionis sublimitas, & loci Sanctitas, & temporis opportunitas, & bonorum societas,& Dei liberalitas; & ligamen votorum; ad omnem eniti perfectionem obligant, nedum reatum omnem plangere docuit & euitare, sed & ad Deificum lumen & illustrationes; apparare se, & felicissima pariter & dulcissima vnione cum Deo coniungere. Hinc igitur apparet facile cur non expresserit omnia in exercitijs suis Ignatius quæ in Cisnerij exercitatorio reperiuntur: Nam cum id illi intenti fuerit, purgatiuam præcipue viam edocere, ea tantum oportuit imitari, exprimere seu depromere potius a Cisnerio, quę ad hanc viam illu-

ſtrandam potiſſimum ſpectabant; non autem illa, quæ pertinebant ad vnitiuam; licet & in ijs, quæ illuminatiuam oſtendunt, ſatis multa Ciſnerio deſumpſerit.

Exercitia ſua ſpiritualia Ignatius ſtylo magis conciſo exaraúit, nec ita frequenti atque Ciſnerij exercitatorium doctrinam ſuam auctoritate SS. Patrum ſuffulſit; non eadem energia illa penetrant, aut dulciſſima quadam violentia peruádunt animas, atque perſúadent. Sed hæc nolo inuidioſius ingerere; tu id collige Lector ex ipſiſmet authoribus; nos enim ad eos conferendos adinuicem accedimus.

Examinat titulus.

Et primo ſe offert titulus: ſuum Ignatius librum, *exercitia ſpiritualia:* Ciſnerius ſuum, *exercitatorium vitæ ſpiritualis*, appellat; vt paruá admodum diſcrepantia reperiatur; paſua inquam, ſeu nulla potius, ſi cum Orlandino velimus loqui, qui in epiſtola ſuá ad me, ſuperius citata fatetur, libellum S. Ignatij titulum libri Ciſneriani habere: *Cum* (inquit) *exercitia P. Ignatij cum ijs Ciſnerij ad inuicem contuliſſemus, etiámſi illa ſimilitudinem aliquam videantur habere; quinimo & titulum & inſcriptionem nihilominus tamen tuentur ea diuerſa admodum inter ſe.* At vnde quæſo, idem vtrique libello titulus? Dicet Ribadineira; & profitebitur: *Ignatium, librum quem compoſuit exercitia ſpiritualia vocáſſe, eique mutuatum fuiſſe nomen ab exercitatorio P. F. Garciæ Ciſnerij:* nec immerito illud Ciſnerius enim nedum exercitatorium ſpiritualis vitæ titulum libello præfixit ſuo, ſed & in ipſa præfatione profitetur facturum ſe de exercitijs ſpiritualibus aliquam compilationem. Non congeram in re tam leui alias probationes, ipſis præſertim fatentibus Ieſuitis, quod primo propoſuimus probandum; Ignatium nomen libello ſuo à nomine libri Garciæ Ciſnerij, exercitia

Orlandinus epiſt. ad Abb. Conſtantinū Caiet. m. ſ.

Ribadineira epiſtola hábita.

scilicet ab exercitatorio appellasse; sed ad maiora progrediamur.

Comparantur ad inuicem, Exercitatorium & Exercitia, in nonnullis aliys. Caput IX.

AB iis incipiemus, quæ communes quedam & generales Aphorismi sunt; ad reliqua exin deuenientes. Docet igitur Ignatius, *quod iuxta eius qui exercetur habitudinem, (puta pro ætate, doctrina, vel ingenio) accomodari debent exercitia; ne cui rudi aut imbecilli seu debili, ea imponantur, quæ ferre non possit citra incommodū, nedum ad profectū suum assumere.* Scilicet attēdi voluit vniuscuiusque indolem viresque; sic exercendum quemque debere, vt profectus illius non impedimentum sequatur. Nonne hoc illud ipsum est, quod prius docuerat Cisnerius? Exercitia inquit, sic sint dispositа & ordinata, quod congruant vnicuique secundum suum statum & dispositionem tam interiorem quam exteriorem; non enim omnia omnibus conueniunt; neque omnes circa eandem rem æqualites se habere possunt; quin potius talia exercitia vnusquisque debet sibi eligere, quæ contra suas vitiosas inclinationes decertent, & ad virtutis amorem trahant & promoueant, & per alia exercitia magis poterit proficere; nam secundum Ambrosium. *Quærendum quidem in omni actu, quid personis conueniat, quid temporibus & ætatibus, quid etiam singulorum ingenijs sit accomodum:* & rationem huius egregiam valde, paulo supra reddiderat his verbis: *Diligenter attendi debet, vt exercitia sint moderata, maxime quantum ad duo, secundum Sanctorum doctrinam: Primum est, ne nimiam afflictionem, neque immoderatam occupationem in ijs sumas;*

Ignatius 18. annotat.

Cisner. cap. 5.

Exercitia pro veritate personarum esse debent. Idē vbi supra.

mas; nam propter afflictionis nimietatem mentis dulcedo in amaritudinem vertitur; & propter immoderatam occupationem, mentis tranquillitas destruitur. Rursus Cisnerius: *Quia* (vt Augustinus ait) *Ordo est causa pacis & tranquillitatis animæ; & ea quæ non sunt ordinata non possunt permanere, & semper sunt inquieta; & quæ ordinata sunt permanent & quiescunt, & præstant animæ magnam fortitudinem; sit enim hostibus terribilis, vt castrorum acies ordinata: ideo operæ precium est, dare aliquem modum, & aliqua assignare determinata exercitia.* Ignatius autem hanc Regulam sic expressit: *Ei qui à negotijs liberior est, & fructum spiritualem optat consequi quam possit maximum, tradenda sunt omnia exercitia eodem quo procedunt ordine.*

Cisnerius.

Ignat.

Addit dein idem Ignatius. *Exercitando secedendum esse ab amicis notisque omnibus, & ab omni rerum humanarum sollicitudine.* Quod similiter à Cisnerio hauserat, docente. *Vt cor à curis exterioribus & superfluis sit alienum, vt quasi vas vacuum Diuinæ gratiæ implendum illud offerat.* Pariformiter in victu somnoque exercentem se habere cupit vterque, vt semper paratus sit cor sursum leuare. Sed remotiora hæc; ad propria igitur deueniamus.

Ignat. an nota. 20. Cisner. cap. 4.

Cisner. cap. vltimo.

Cisnerius: *Postquam* (inquit) *exurgentes de cubilibus, fuerimus induti, manebimus in cellis, & stantes erecti supra pedes in loco, vbi quisque orare consueuit, debemus nos pro viribus intra nosmetipsos recolligere, & sic recollecti debemus tunc cõsiderare, quid est quod sumus acturi, & propter quid sumus reximus à lectis: qui enim non considerat quid actũ est, incautus incedit in operibus suis: Quid enim Fratres acturi sumus tempore Diuini officij, nisi apparere in conspectu Dei & Sanctorũ Angelorũ, & in concilio iustorũ & sanctorũ Fratrũ? Vnde tria oportet nos diligenter considerare;*

Ignat. addit. ad 5. exercit. Cisner. directorij sui c. 3.

rare: Scilicet quod tendimus ad Deum adorandum, Deo gratias agendum, ad Deum orandum. Et paulo inferius *His cum ingenti deuotione mente pertractatis, oportet, vt mox nosmetipsos circumspiciamus, an vt decet simus dispositi apparere in præsentia Dei, ad quem habere sermonem tendimus.* Ignatius documentum hoc simili prorsus tenore deduxit: *Prius* (inquit) *quam hoc orem modo iuxta illud, quod tertia additioni æquipollet, sedebo vel deambulabo paulisper, prout ad animo quietem facere videro, pensitans apud me, quo mihi accedendum sit, & quid faciendum.* Tertia autem additione docuerat; *vt à loco futuræ meditationis, vno vel gemino passu distans per tantillum tempus, quo percurri oratio Dominica possit, animo sursum eleuato considerem Dominum meum Iesum, vt præsentem & spectatem quidnam acturus sim, cui reuerentiam cum humili gestu exhibere debeam:* & alibi. *Vbi primum in mentem veniet adesse meditandi horum, priusquam accedam, prospiciam eminus quo ferar, & coram quo sim appariturus.* Sic igitur exercendum vterque ad futuram meditationem excolit.

Ignatius t. de tribus modis orandi.

In additione ad secundū exercitium.

Postquam vero ad locum orationis peruentum fuerit tunc (ad Cisnerij mentem) *vti poterit diuersis cerimonijs in dispositione membrorum; nunc eleuans manus sicut Aaron; nunc flectens genua sicut Salomon; nonnunquam in faciem cadens, & mox sine mora surgens, manendo flexis genibus, sicut Christus in monte Oliuarū, sedens quoque sicut Maria ad pedes Domini extendens rursus manus ad modum crucis, sicut Christus Dominus in cruce; interdum defigens oculos in terra sicut Publicanus; aliquando eleuans in cælum, sicut Apostoli in Ascensione Domini.* Hactenus Cisnerius; e quibus Ignatius præcipit: *Vt flexis genibus, vel sedendo pro habitudi-*

Cisner. ca. vltimo.

bitudine corporis, & animi deuotione, oculis vel clausis, vel defixis in partem vnam, neque huc & illuc motis orationem Dominicam à principio recitemus. Et alias etiã iubet: *Vt aggrediar ipsam contemplationem, nunc prostratus humi, aut pronus, aut supinus iacens; nunc sedens aut stans, & eo me componens modo, quo sperem id facilius consequi quod opto.* *Ignat. in 2. orãdi modo. Idem in quarta add. ad regulam quintã.*

Igitur exercitandus, cum ad meditandum se composuerit, secundum methodum Cisnerianam, signans crucis vexillo frontem, os & pectus, dicere debet antiphonam hanc: *Veni Sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende:* & ter hunc versum, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festinã.* In similem prorsus tenorem Ignatius, qui constituens hominem in loco orationis, vult *vt petat à Domino gratiam, vt vires atque operationes suas omnes, sincere ad eius gloriam & cultum tendant:* *Cisner. c. 12.* *Ignat.*

Illud dein Ignatius: Primum preludium est ratio quãdam componendi loci: pro qua notandum est, quod in qua ius meditatione, siue contemplatione de re corporea, vt puta de Christo; effingendus erit nobis secundum visionem quandam imaginariam, locus corporeus id quod contemplamur representans veluti templum aut mons, in quo reperiamus Christum Iesum vel Mariam Virginem & cetera, quæ spectãt ad contemplationis nostræ argumentum. *Ignat. in exercit. 1.*

Hæc Ignatius; quæ non immerito à Cisnerio dicemus illum hausisse, qui præcipit Monacho, *mentem stabilire in aliquo certo loco, & certus disponere stationes, ne huc illuc vagus discurrat; & in quantum poterit applicet sensum psalmi his, quæ in illo assignato loco fiunt; vt scilicet Dominicum aduentum meditans, debeat ita se comparare, ac si cerneret venientem Angelum ad domunculam* *Cisner. di rect. c. 4.*

culam Dominæ nostræ, & dicentem Aue gratia; & cum Angelo multitudinem Angelorum psallentium. Pariformiter iubet Cisnerius: *Aptare mentem suam ciuitati Bethlehem, & intueri natum infantem positum in præsepio & Angelos & pastores canentes; aptare monte Hierusalem, & ibidem considerare, quomodo Dominus flet sedens super asinam, quando natiuitatem, & ingressum Hierosolymitanum meditatur.* Et in exercitatorio. *Feria (inquit) sexta, forma tuas meditationes, quando scilicet redemptor noster in horto orabat; & ac si ibi præsens esses, considerare,* & paulo inferius: *Ac si ibi adesses, intuere diligenter, quod mæstum est videre quod Domina mundi, & principes Diuini exercitus sic sint recluſi in quadam domuncula, pleni timore, amore & dolore.*

Cisner. vbi supr.

Cisner. exercitat. 6.

Idem c. 17.

Exigit Ignatius ab exercitando pulchre satis, *Vt ita se in meditatione gerat, sicut exigere videtur contemplãdi genus; cum nonnulla ex mysterijs pœnitentiam requirant; alia non item.* At hoc prius Cisnerius fecerat, qui meditantem iam sponsi, alias filij, nonnunquam rei personam iubet induere: hanc autem personam vt induit, non est festinanter meditãdum vt totum percurrat, secundum Cisneriana præcepta; sed, *in singulis articulis demorandum, accẽdẽs amoris igne animam suam quousque in admirationem redigatur: & si tempus orationi deputatum non sufficit, nisi ad meditandum vnum solum articulum, non cures de alijs nisi vt cursim eos mente pertranseas; & ita concludes tuum exercitium. Et hæc regula obseruanda est in omnibus alijs exercitijs; non enim expedit, vt totum exercitium meditando festines transcendere; sed si in illius primordijs deuotionis vel compunctionis gratia te Dominus visitauerit, claude te intra teipsum & mane fixus, conseruans in te illã gratiam & dilatans, cor tuum in feruidis affectionibus; & circa*

Cisner. c. 23.

hoc

hoc expende totum tempus orationi deputatum, nec te per alia dispergas. Hæc Cisnerius; quæ sic retuli: Ignatius: *Quamuis ei qui exercitatur, certus præscribatur numerus punctorum, puta ternarius aut quinarius, liberum tamen ipsi erit, in plura vel pauciora puncta redigere contemplationem, prout commodius se habere expertus fuerit.* & paulo post: *Si orantibus hoc modo nobis in vna voce vel duabus meditatio affluat, & interna simul delectatio; postponenda erit transcurrendi cura, licet hora tota prætereat.* Et si non ita e mente nostra affluat Diuina consolatio, tum quidem e norma Cisneriana: Dicit Gerson, *qui nituntur & laborant, quantum in se est, habere deuotionem, & assidue contra suas cogitationes certamen gerunt, quia ijs multum displicent, eo quod eos pacem habere non permittunt; hi sæpe maius reportant meritum, quam si ijs statim, sine tali conflictu deuotio aduenire: ratio est, quia militant & seruiunt Deo propriis sumptibus, & cum maiori pœna atque labore.* Statimque subdit: *Vt permanendū per secūdas, vel tertias horas vno loco fixū, cogat se, siue consolatio sequatur siue non; ad quā tamen habēdam assiduo laborare debet: cumque se nimio tædio affectum senserit, sibi ipsi dicat, quod adhuc expectet per mediam horam, vel integram, faciendo pœnitentiam suam, expectans Diuinæ gratiæ largitatem; post horā vero elapsam, adhuc se commoneat ad persistendum alia hora:* hæc Cisnerius; ad quorū imitationem Ignatius habet: *Aduersus tentationem ac desolationē semper pugnandum est, producto vltra præfinitam horam exercitio, vincendi gratia.* & alibi: *Desolatione probamur quales sumus & quomodo ad Dei seruitium & honorē, absque præsenti quodā consolationū, donorumque spiritualiū stipendio nos etiā impēdimus.* & hæ sunt præparationes (vt cōplures prætereamus alias, quas oportet ipsam meditationem præcede-

Ignatius in meditation 4. hebdom.

Cisner. c. 64.

Ignatius annot. 10.

cedere hæc documenta) quibus & tyronem suum Cisnerius; & ex eo Ignatius suum ad meditandum instruxit. Iam ad exercitia ipsa deueniamus; in ijs etenim clarius adhuc eluceſcet, Ignatium complura à Cisnerio mutuatum fuisse.

Conferuntur ad inuicem quæ habet Ignatius in exercitijs, primo, secundo, tertio; & Cisnerius in meditationibus feriæ secundæ. Caput X.

DIuino prorsus spiritu & consilio Cisnerius vult, debere nos exerceri in memoria peccatorum secundum tres particulas viæ purgatiuæ, quæ sunt, ex asperatiua, cōplutiua, eleuatiua; vniuscuiusque particulæ insignia documēta & praxim explicans, vt apud eundem videre est. Sed hoc omisso, quia collationem omnem illius ad Ignatiū, quæ inuidiam generare potest, studiosè vitantes, ad aliam quā initio promisimus,

Cisner. cap. 12. & exinde prosecuti sumus, accedamus. Igitur Cisnerius auspicaturo de peccatis meditationes præcipit; *vt spiritu attracto accipiat personam rei, & timoris affectu positus coram Deo, quasi quodam seuero Iudice te damnare volente, debes accuratissime ad memoriā reuocare, &c.* Ignatius autem ijsdem inhærens vestigijs, inquit,

Ignat. addit. ad exercit. *in secundo itidem exercitio, de peccatis videlicet, reputans, quantum peccauerim, fingam me catenis vinctum esse, ac protinus sistendum coram summo Iudice, sicut mortis reus quispiam ferreis ligatus compedibus duci ad tribunal solet.*

Cisner. vbi supr. Subiungebat Cisnerius: *O anima mea, considera nunc attentissime, & totis viribus sentire satage, quantum vnum solum peccatum displiceat Deo; intuere diligenter & vide, quomodo superbia è cælo Luciferum eiecerit,*

Adam

Adam inobedientia de Paradiso Ignatius vero: *Primũ punctum erit, vt exerceatur memoria mea circa primum peccatorum omnium, quod fuit ab Angelis commissum, adhibito statim discursu intellectus, & voluntatis motu.* Et nox: *Secundum est punctum, easdem potentias tres, circa peccatum primorum parentum, quod secundum appellabimus exercere.* Et demum: *Tertium est vt exerceamus pari modo circa peccatum mortale & particulare, quod libet; considerando, quod peccato tali vel semel duntaxat commisso, forte, detrusi sunt multi ad infernũ; quodque præterea prope innumeri ob delicta meis pauciora atque leuiora forte crucientur æternis pœnis. Vnde memoria versandum erit, quanta sit peccati grauitas & malitia, Deum omnium conditorem & Dominum offendentis.* Sed tertium hoc Ignatius, vt priora duo expressit à Cisnerio dicente. *Quam grauia sunt peccata tua, quibus Deum offendisti, & iterũ Christum Crucifixisti; conspice ea sigillatim, & ea in conspectu Dei confitere.* Et inferius: *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia tua? O Domine quot cruciantur in inferno pro vno solo peccato? & ego qui tot & tanta commisi, quantarum sum reus pœnarum? iustissime sum reus damnationis æternæ; obnoxius enim sum omni supplicio, & indignus omni beneficio.* Post primum exercitium subiungit Ignatius. *Colloquium fiet imaginando Iesum Christum coram me adesse in cruce fixum.* Et inferius: *Porro Colloquij proprium illud est, vt fiat sicut amici sermo ad amicum, vel serui ad dominum; nunc nunc gratiæ aliquid petendo, culpam meam incusando; interdum propria qualibet communicando, ac petendo consilium super illis, siue auxilium.* Hæc quidem Ignatius; at quibus fontibus? habe: Cisnerius enim ita Christum cruci alloquitur fixum; *O pijssime Pater,*

Ignat. exercit. 1.

Cisner. c. 12.

S. Ignatius.

ego

ego ſum ille filius prodigus, qui omnia ſcelera hæc contra tuam immenſam Maieſtatem perpetraui, & ingratus extiti: tu enim innocentem me condidiſti; ſed ego me ipſum pollui, deformaui, & vniuerſis peccatis laceraui: tu Domine pro me crucifixus, vulneratus & humiliatus es (ecce Chriſtum alloquitur crucifixum) & ego omnibus viribus exaltari curauit: tu Domine nudus in cruce, & ego variis & laſciuis indutus veſtibus: tu Domine felle & & aceto potatus: & ego in commeſſationibus & ebrietatibus ſum delectatus: tu Dominus, totus multiplicibus laboribus plenus, & ego torpens & ocioſus, (ecce culpam incuſat ſuam.) Quid faciam Domine? nunquid deſperabo? vbi eſt illud quod ait Propheta: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat? Igitur & ego per viam purgatiuam, contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis lima purgari curabo: & ſicut meipſum exaltaui, ſic iam abiectio & opprobrium hominum; contra auaritiam proprietatibus renunciabo; contra carnis illecebras, ieiunus & vigilijs, fame & ſiti me affligere volo (ecce & propria ſua communicat, & conſilium à Deo petit (& poſtea: *O Domine doleo tuam amicitiam amiſiſſe,* (ecce ſermo amici ad amicum) *tuam Maieſtatem contemſiſſe;* (ecce ſerui cum Domino colloquium) *ſed vltra pergamus.*

Ignat. exercit. 2.

Secundum exercitium ſic incipit Ignatius: *Fit proceſſus quidam, per quem peccata totius vitæ in memoriã reuocantur, percurſis gradatim, diſcuſſiſque annis, & ſpatijs temporum ſingulis.* Audi iam Ciſnerium, qui proceſſum confecerat prius, & annos percurrerat: *Animo quoque reuolue tuo, peccata ante tuam conuerſionem commiſſa, quæ multiplicia ſunt; ſcilicet cogitationis, conſenſus, delectationis, oris & operis, &c. aduerte quam turpia, &c. attende qua grauia, &c. recogita quoque*

Ciſner. c. 12.

pecca-

peccata, post conuersionem perpetrata, quomodo semper tam negligenter tam tepide, tamque inutiliter, tot vixeris annis.

Secundum punctum (ponit Ignatius) *peccata ipsa perpendere, quanta sit foeditas singulorum ex natura sua, si vel prohibita non essent.* At iam Cisnerium audi; *aduerte quam turpia peccata sint, & præcipue quantum ad carnalia:* & postea; *conspice peccata tua figillatim,* ecce & peccata singula, & singulorum deformitatem. *Ignat.* *Cisnerius.*

Tertium punctum (apud Ignatium) *est: Considero meipsum, quisnam aut qualis sim. Quartum punctum; Cogitare quid sit Deus quem ita offendi, collectis comparatisque perfectionibus attributis Deo vt proprijs, cum oppositis meis vitijs atque defectibus.* Iam adeamus Cisnerium; *Qui dum meditantem fateri docet, se filium prodigum esse, ingratum, pollutum, deformem, peccatis laceratum, superbum, &c. certe in sui ipsius eum cognitionem ducit: attributa autem Diuina docuit, asserendo Deum, æquitatem esse, intelligibilem, infallibilem, indeclinabilem, non minus in punitione malorum, quam glorificatione electorum; vnde secundum opera tua tribuet tibi.* Sua autem cum Diuinis perfectionibus composuit vitia, dum ingerit & sua toties peccata, & Deum bonum pulcherrimum, dulcem, misericordem proclamat, eumque ad peccatis suis propitiandum inuitat. *Ignat.* *Cisnerius.*

Possunt & ea inter se comparari, quæ de prorumpendo in exclamationem ex vehementi affectus commotione, de colloquijs ad B. Virginem, ad Christum, ad Deum Patrem instituendis. Vterque enim vult, vt in profunda suspitia, vehementiores affectus prorumpatur: excurrit vterque ad colloquium cum B. Vir-

gine, cum Christo, Deoque, pari vtens methodo. Sed nolo singulis insistere.

Comparantur ad inuicem, exercitatorium Cisnerij, & exercitia Ignatij, in meditatione de inferno; & ijs quæ ad amorem excitant. Caput XI.

Ignatius in meditatione de inferno.

ORatio præparatoria (inquit Ignatius) non differt à superiore. Et Cisnerius vult, *vt ea ipsa præparatio fiat, quam feria secunda dictauerat.* Subiungit Cisnerius. *Debes frater considerare pœnas inferni; ipsum infernum secundum aliquas similitudines, quas sancti in hac materia assignant: considera quoddam teterrimum Chaos, quendam locum sub terra, tanquam quendam profundissimum puteum, totum ignitum; ciuitatem, quandam horribilissimam, & maxime tenebrosam, flammis teterrimis & terribilibus succensam & ardentem.* Ignatius autem prius præludium habet, *compositionem loci, subiecta oculis imaginationis inferni longitudine, latitudine, profunditate.*

Cisner. c. 14.

Cisnerius.

Cisnerius: *Ibi commorantes, validos emittunt clamores atque vlulatus, & omnes miserabiliter & inconsolabiliter plangunt præ dolorum magnitudine & numerositate; nec est lingua mortalis, quæ eos sermone explicare valeat.* pauloque post: *Acerbitas pœnarum clare patet in stridore dentium, gemitibus planctibus & blasphemijs quas in Deum inferunt.* Ignatius: *Secundum punctum est, audire imaginarie planctus, vlulatus, vociferationes atque blasphemias in Christum & Sanctos eius illinc erumpentes. Tertium punctum imaginario olfactu, fumum, sulphur, & sentinæ cuiusdam seu fecis atque putredinis grauedinem per sentire. Quartum; gustare similiter res amarissimas; vt lacrymas, rancorem, con-*

Ignat.

scien-

scientiaque vermem. Quintum; tangere quodammodo ignes illos, quorum tactu animæ ipsæ comburuntur. Cisnerius: *Ibi est teterrimus ignis, qui nunquam extinguitur, intolerabilis algor, palpabiles tenebræ; ibi omnes sensus incessabiliter cruciabuntur, visus in terribili dæmonum aspectu.* Ignatius subdit: *Colloquendo interim cum Christo in memoriam adducendæ erunt illorum animæ, qui ad inferni pœnas damnati sunt.* Cisnerius post præfata puncta subiungit: *Frater dilectissime, conscientia tua præmissis meditationibus stimulata, conuertere ad Dominum, dicens in corde tuo: O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia tua Domine,* (adducit dein animas inferno addictas) *O Domine quot cruciantur in inferno pro vno solo peccato? & ego qui tot & tanta commisi, quantarum sum reus pœnarum & hæc de via purgatiua.*

Cisnerius. Ignat. Cisnerius. Ignat. Cisnerius.

De illuminatiua autem hæc accipe. Tractans Ignatius de illis rebus, quæ amorem spiritualem in nobis excitet: *Punctum* (inquit) *primum sit, reuocare in memoriam beneficia creationis ac redemptionis; dona itidem particularia, seu priuata enumerare.* Cisnerius vero quæ ad spiritualia nos excitent. *Considera* (inquit) *quot & quanta bona Dominus noster generi humano contulit in eius creatione & redemptione, & vnicuique nostrum in vocatione, in sustentatione & conseruatione, quot & quanta nobis peccata dimisit.* Rursus Ignatius. *Intimo item affectu perpendendum, quantum mea causa benignissimus Dominus egerit atque portulerit.* Item Cisnerius: *Considera quot labores, angustias, anxietates, dura verba duriora verbera & acerbissima & immanissima supplicia passus est; & pro nobis in cruce mori dignatus est,* iterum Ignatius: *Considera quantum mihi elargitus sit de thesauris suis; quodque iuxta Diuinum suum Decretum,*

Cisnerius. c. 6. Ignat. Cisnerius. Ignat.

& beneplacitum ſeipſum mihi, quantum poteſt, donare
Ciſne- *velit*. Similiter Ciſnerius. *Virtutem nobis Deus dedit,*
rius. *ſpem veniæ, gratiæ & gloriæ*. & mox. *Dedit Sacramentum præcioſiſſimi corporis & ſanguinis ſui, in viaticum peregrinationis, in Sacramento communionis, in Sacramento redemptionis; dedit Sacram Scripturam, & ſanctos libros, velut quoddam ſpeculum, dans ornamen-*
Ignat. *ta & exercitia virtutum*. Alia ſubnectit Ignatius e via illuminatiua & vnitiua Ciſnerij deſumpta: Veluti, *Deum creaturis ſuum eſſe dediſſe; mihique viuere ſentire ac intelligere dediſſe; meque templum quoddam ſuũ efficere voluiſſe ad imaginem ſuam & ſimilitudinem crea-*
Ciſne- *turam*. Ciſnerius vero inculcat ſapiſſime, *omnia à Deo*
rius. *tam mortalia quam immortalia pendere, eumque ſolum dediſſe vniuerſis eſſe; ipſum eſſe, à quo & in quo & per quem omnia ſunt; & qui cælum & terram implet; & cuius virtute omnia ſubſiſtunt*: & alibi: *Gratias tibi ago ſumme Deus, qui me creaſti vnam creaturarum tuarum nobiliſſimam, ſcilicet hominem, qui ex parte anima ad imaginem & ſimilitudinem tuam me feciſti, eam tui capacem, atque immortalem faciens, nec non multis naturalibus viribus & potentijs decorans*.

Ignat. Addit Ignatius. *Tertium conſiderare eundem Deum ac Dominum propter me in creaturis ſuis operantem, &*
Ciſne- *laborantem quodammodo, quatenus dat ipſis, conſeruat-*
rius. *que id quod ſunt, habent, poſſunt, agunt*. Iam audi Ciſnerium: *Gratias ago tibi Deus, quod non ſolum me gubernaſti, ſed & omnes alias creaturas, propter me in ſuo eſſe cõſeruaſti & direxiſti, miniſtrans ſucceſſiones temporum, producens diuerſitates fructuum ad tollendum faſtidium.*

Quartum punctum, (inquit Ignatius) *Conſiderare, quo pacto munera & bona omnia cælitus deſcendunt, vt ſunt potentia, iuſtitia, bonitas, ſcientia, &c.* Ciſnerius: *Conſi-*

dera

dera quomodo dilectus tuus est fons sapientiæ, à quo emanant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ: ille enim est æterna sapientia, attingens à fine vsque ad finem fortiter disponens omnia suauiter.

Concludit hoc exercitium Ignatius oblatione *Quibus optime perspectis, vertar ad meipsum, & disquiram mecum, quæ meæ sint partes, & quid æquum iustumque, vt Diuinæ offeram & exhibeam Maiestati: haud dubie quin omnia offerre debeam, ac meipsum cum summo affectu, vestris huiuscemodi vel similibus. Suscipe Domine vniuersam meã libertatem; accipe memoriam, intellectũ atque voluntatem omnem; quicquid habeo vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum; amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quicquã vltra posco.* Simili prorsus modo concluserat Cisnerius colloquium suum: *O Domine quid in me inueneristi nisi sordes, peccatorum,* (ecce ad seipsum conuertit se) *& mecũ vis esse vsque ad cosummationem sæculi? Nonne satis fuit te pro me mori, & dare tot Sacramẽta, & Angelos custodes? & his semper sum ingratus, sed & tu vis esse mecum? O amantissime Pater tam bonus es, quod teipsum negare non potes: faciamus igitur cambium simul, tu intẽde mihi, & ego tibi; & sicut scis & vis, fac mecũ quia tuus & non alterius esse võlo: da mihi Domine, vt ego tibi soli intẽdam, te solũ diligã, tuo semper amore feruea nihil aliud cupiã nisi te, & me totũ tibi offeram* (ecce offert se ipsum Deo) *& oblatũ nec aliqua tenus reperã,* pauloque post: *te dulcissimũ & speciosissimũ Dominũ meũ diligam ex toto corde meo & tota anima mea, ex omnibus viribus meis, ex tota intẽtione mea, ex tota cõtritione cordis mei, & lacrymarũ compunctione, ex multa reuerentia, tremore & timore, te semper habens in corde meo, ante oculos meos,*

Ignat.

Ciisnerius.

in omni loco; ita vt in animâ meâ alicuius priuati amoris non sit accessus, sed transformatus totus in tuum amorem, merear tecum vnus spiritus esse. In quibus certe Cisnerius quicquid habet, quicquid possidet, cum anima viribus obtulit Deo. Sequitur. *Non aliud quaro Domine, nihil aliud volo, nihil aliud mihi dicatur, nihil aliud mihi proponatur, nisi tu Deus meus, quia tu es mihi sufficientissimus, &c.* In quibus diuitias omnes in Deo constituit Cisnerius; & præter ipsum popoſcit nihil.

Corollarium ex præcedentibus; & ratio designatur, quare ex Garcia Cisnerio potius, quam ex alio dicatur Ignatius hæc documenta desumpsisse.

Caput XII.

PLura addere potuissem dictis; pluribus vnius ad alterum instituere collationem, & monstrare digito, quæ ex thesauro Cisneriano, in suum Ignatius gazophilacium transtulit: at hæc abunde sufficiunt intento nostro, demonstrando exercitiorum spiritualium Ignatij non contemnendam partem, e Cisnerij exercitatorio desumptam.

A nomine vin incipiamus? Certe ipsi fatebuntur Ignatiani, Patrem suum ab exercitatorio exercitia sua denominasse: quinimo in ipso exercitatorio sæpissime habens exercitiorum nomen. Vnum inter complura alia designo locum ex ipsa præfatione Cisnerij inquientis: Importunam instantiam quorundam Fratrum non improbæ temeritati audaciam induxisse eum, vt de exercitij spiritualibus aliquam faceret compilationem. *Nomen.*

Vin methodum? vterque ab inuocatione Diuini Nu-

Numinis, à loci imaginatione, aliisque incipit præludijs: suggerit mox diuersitatem punctorum & capitum pro sequenti meditatione, & in colloquia desinit. Vin alia documenta? in plurimis consonant prorsus & conueniunt: Vin ipsam materiam, ipsa puncta meditationis? & in his conspirant sæpissimè vna vtrique materia, eadem vtrique puncta. Si circumstantias desideras, & ipsas similes omninò ostendimus, similemque præparationem: vt non dubites asserere, quæ alter habuit, ex altero mutuata fuisse; scilicet quæ habet Ignatius, e Cisnerio fuisse accepta.

Methodus eadem.

Dices: Verissimum illud prouerbiale: Nihil dictũ, quod non dictum prius. Pluta habet Cisnerius; imò plura fatetur sua ab alijs hausta scriptoribus; quomodo igitur asserimus, non ab alijs, sed ab vno Cisnerio accepisse doctrinam suam Ignatium? Aut si à Cisnerio desumpsit, cur non omnem, cur non maiorem saltem, cũ hanc solam desumpsit? Facilis ad hæc responsio: Nam cum tam familiarem habuerit Ignatius Cisnerij librum, ipsis Ignatianis fatentibus, vt eo illiusque præceptis vsus per initia fuerit; per eum profecerit plurimum: quis non dixerit ex eo potius quam ex alio ea præcepta, documenta illa suscepisse? manifestum mihi videtur & certum esse inde voluisse illum doctrinæ sublimitatem & sinceritatem sumere, vnde vitæ spiritualis initium progressumque desumpserat; vt quem habuisset vitæ sanctioris magistrum illum doctrinæ sanioris & spiritualis præceptorem haberet. Cum igitur in vitæ normam spiritualis, morumque suorum regulam adhibuerit Cisnerianum exercitatorium; in doctrinæ etiam exemplar & adiumentum suæ idem voluerit adhibere: *Quam enim pronum erat,* (inquit Cauex structor,) *ac familiare S. Ignatio alijs*

Cur Cisnerium potius quã alios adhibuerit.

ingerere, quæ ipſus in mores ac vſum quotidianum vtiliſſima experiretur.

Structor cauea. p. 220.

Similiter quod non omnem doctrinã ſuam, ſed aliquam illius partem expreſſerit è Ciſnerio; id potuit ſubeſſe; Quod cum Angelicum munus & officium aggreſſus fuiſſet Ciſnerius, purgare videlicet, illuminare & perficere: Ignatio autem purgatiuam potiſſimum edocere viam ſtatutum fuiſſet; neceſſe non habuit documenta illuminatæ aut vnitiuæ viæ à Ciſnerio mutuare. Deinde cum id Ciſnerio propoſitum eſſet, vt Monaſticam profeſſum, & monaſterio fixum, certoque vitæ generi addictum doceret: Ignatius autem quoſcunque, etiam ſæcularis vitæ laicos; quanquam nullam adhuc vitæ electionem feciſſent, inſtruendos ſumpſiſſet, aliqua certe dicere debuit, quæ in Ciſnerio non reperiebantur: imo nedum alia dicere ſed aliter; quod alium Ignatius, alium Ciſnerius finem propoſuiſſet.

Cur parem, non totũ, ex Ciſnerio deſumpſerit.

Porro id te nominatum velim lector, Hiſpanico idiomate, & exercitia ſua Ignatium, & Ciſneriũ exercitatorij libellum ſcripſiſſe: exercitiorum autem libellus quo vſi ſumus ſic latio donatus fuit ab Andrea Fruſio, Ieſuita Gallo, vt ſenſum tantum ſenſui redderet, ipſa illius præfatione animaduertente: Ciſnerij vero exercitatorium Anno Chriſti MCDLXXXXIX. editum latine ab eius alumno Ferdinando à Turrecremata redditum Anno MD. impreſſum fuit. Igitur ſi pænes nos fuiſſet vtriuſque auctoris autographum ſeu certe exemplar fidele; facile mihi perſuadeo, longe maiorẽ concordantiam inter vtrumque potuiſſe reperiri: Interpretes enim in diuerſas nonnunquam abeunt loquendi formulas; vt dum exercitiorum interpres vna, alia Ciſnerianus vteretur, & diuerſa locutionis phraſi;

Antographũ defuit Auctori.

mi-

mirum profecto fuit, tam plenam pulchramque inter eos consonantiam iuuenire: & eo magis mirum illud videri potest suspicanti variata in nonnullis latina exercitia ab Hispanicis, non in verbis tantum, quod præfatio Ioannis Polanci profitetur, sed in alijs etiam. Nam vide mihi: prodierunt ipsa exercitia Italice, at quo in loco, quo anno, non dicitur; quæ & dispositione varia sunt ab exercitijs latinis, & ijs auctiora; exercitiorum tamen Ignatij nomine circumferuntur. Sicut igitur Italica a latinis & methodo differunt, & incremento locupletata sunt; sic & alia possunt esse forma, & auctiora aliquo additamento ab Hispanicis: ac proinde si Hispanica haberemus exemplaria, exercitatorio Hispanico conformia, magis viderentur esse: sed de hoc alias. Iam antequam argumentum hoc concludamus, & è dictis superius superius statuamus, Ignatium vsum fuisse exercitatorio Cisneriano dum Montisserrati esset, dumque hæreret Minoresiæ, ex eo & per illud profeciisse plurimum in spirituali vita; ac tandem & plurima & pulcherrima ex eo in suorum libellum exercitiorum transtulisse.

Respondetur obiectionibus Anonymi cuiusdam, & examinatur an S. Ignatio Dominus Deus tradiderit exercitia spiritualia; seu an eum illa docuerit B. Virgo. Caput XIII.

FAbula inquit est S. Ignatium Societatis conditorem à Diuino institutore Gallo; cui nomen erat Ioannes Clanonius, quoque in Montesserrato S. Benedicti Cœnobitam egit, partim didicisse, partim vsu & exercitatione ea annotasse, qua maximo animorum fructu componeret & euulgaret. Pulcherrime Dioge- *Structor cauea. p. 220.*

nes puero in turbam inijcienti lapidem: *Caue inquit ne Patrem tuum percusseris.* Quidni & hoc ipsum structori occini potest, qui dum Grauinam lapide conatur petere, ipsosmet Societatis scriptores cecidit. *Fabula* (inquit) *est S. Ignatium a Ioanne Claronio Cœnobita Montisserratensi partim didicisse, partim vsu & exercitatione ea annotasse quæ postea euulgauit,* ne quidem vsum & exercitationem inter ea admittens quibus instructus Ignatius ad sua exercitia scribenda accessit. Igitur fabulosus Polancus, Secretarius Societatis, ipsiusque S. Ignatij; qui eodem B. Patre viuente & volente scripsit: *Documenta & spiritualia exercitia experientia & vsu tractandorum animorum edoctum Ignatium composuisse.* Igitur fabulosus Pontifex summus. *Qui exercitia, spiritualia, e vita spiritualis experimentis elicita asserit.* Fallor enim nisi hi experimentis & vsus & exercitatio optime concludantur. Igitur fabulosus Orlandinus, qui eundem Ignatium, *partim ex eo quod suo ipse vsu & quotidiana obseruatione notarat; partim ex eo, quod Diuino illo Institutore didicerat salutarem quandam orandi scientiam & meditandi velut artem effecisse ait.* Igitur fabulosus Ribadineira asserens. *Patriarcham suum exercitiorum librum ex accurata eorum quæ sibi contigerant obseruatione scripsisse.* Et in vita Hispanica: *Scripsit* (inquit) *libellum quem exercitia spiritualia vocamus, excerpta potissimum ab experientia, ad quam attigerat, & diligenti accurataque consideratione, qua obseruabat omnia quæ sibi contigerunt.* Igitur fabulosus Maphæus; Qui eum asserit, *ex ijs quæ ipsemet experiendo cognorat, de fructuosa ratione meditandi orandique, præclaras obseruationes conscripsisse.* Ita per suorum latera Grauinam petijt Caueæ structor, suosque cecidit vt nugiuendulos, vt fabularum artifices

Polãcus in præfatione ad exercit.

Paulus III. in Breui cõfirmat. exercitio.

Orland. l. 1. n. 23.

Ribad. l. 1. c. 8.

Idem in vita Hispan. S. Ignat.

Maph. Vitæ S. Ign. lib. 1. c. 8.

insi-

insigniuit. Sed dicet: *Fabulam saltem esse, dum haereret Manresæ, edoctum Ignatium à Clanonio, quæ in exercitiorum libello digessit: (quare hoc?) Quia S. Ignatius dum in Serratomonte commoraretur, non de commentatione, quæ fit sub oratione, sed de mentis deliberatione, qua quisque effectui mandare nititur, quæ prius tacite secum delegerat, cum Clanonio egit: deinde non nisi post quartum Manressani secessum ab oratione vocis ad mentis actiones progressus exerceri capit illis meditationibus, quas in exercitiorum spiritualium libello digessit.* Igitur si nihil ille edoctus a Clanonio de meditandi ritu, dum per initia in Sacro monte maneret: imo si Manresę per quatuor menses in oratione vocali consisteret; fabula erit ipsum à Clanonio edoctum meditandi artem; fabula, ab exercitatorio Cisneriano, in sua exercitia iota vnum apicemue transcripsisse: Respondeo, & hic structorem Caueæ, dum fabulã Grauinæ impingit, P. Ribadineiram carbone simili notasse: Hic enim non dubitauit fateri S. Ignatium à P. Clanonio instructum & edoctum, nonnulla ex libro P. Garcię Cisnerij, multumque in orando & meditando per eundem libellum profeciſſe. Aduerte Lector: Ribadineira concedit S Ignatium edoctum à P. Clanonio ex libro Garciæ Cisnerij orandi & meditandi ritum, Caueæ structor neget? Scire debuit S. Ignatium non primis his quatuor diebus suæ conuersionis, sed & sæpius postea Clanonium consuluisse; idque solidissima Serratimontis traditio habet: quid inquam traditio? nam ea parum fortassis, apud Caueæ structorem valebit: cum ipse processus, seu vita e processus pagina 27. desumpta, id asserat. *Non omisit,* (inquit) *humillimus Ignatius, quamdiu fuit Manresæ, sæpius proficisci ad Serratum montem, vt patri suo spirituali, apud quem* *Vita S. Ignat. ex processu pag. 27.*

quem primitus peccata fua depoſuerat, (ſcilicet Ioanni Clanonio) *minutim exponeret ea omnia, quæ fiebant in anima ſua, eoſque annos fauores, quos in dies liberaliter recipiebat a manu Diuina; qui admirans liberalitatem Domini erga ſuum pœnitẽtem, vniuſque viciſſitudinem officiorum, &c.* Quocirca etiamſi primis diebus quibus in Serrato monte; primis quatuor menſibus quibus Manreſſæ commoratus eſt S. Ignatius, nihil de meditandi ritu à Clanonio audiuerit; eſto, audiuit cum reuerteretur, eorumque omnium quæ in anima ſua agerentur rationes apud Clanonium ſubduceret; cum Diuinas, ſibi factas illuminationes propalaret; tum enim par fuit viſumque optime expedire, Clanonio exponere, ſe Diuina penitus intrare cæpiſſe, admirabili è celo luce perdoctum, ingreſſumque ad interiora Philoſophiæ cęleſtis, & ab oratione vocis ad mentis progreſſum actiones, exerceri cæpiſſe meditationibus; tum etiam conuenire exiſtimatum, vt Clanonius eum de meditandi arte inſtrueret. & ex Ciſneriano libello, ad contemplandum erudiret: tum pulcherrima ea edocuit Clanonius, quæ adultior factus in libello exercitiorum ſuorum annotauit. Nec minus propterea agnoſco, Diuinas illuſtrationes, admirabilem cæli lucem, denique Deum ipſum Ignatium inſtituiſſe: Scio enim omne datum optimum, & omne donũ perfectum, deſurſum a Patre luminum deſcendere; nihilominus tamen fatendum aſſero, ſuas etiam vt vſui, vt experientiæ, vt experimentis ſpiritualis vitę; ita exercitatorio Garciæ, magiſterioque Clanonij partes deberi; idque abſque omni Diuinorũ iniuria chariſmatum: nam ſi cum illis Ieſuitæ coagmentant ſpiritus vnctionem, & cũ eis Clanonij magiſterium poſſe conſiſtere, quis neget? At ſtructor caueę. *Quomodo*

do (inquit) *Clanonius solum Ignatium tanti thesauri participem fecit*. Quis amabo structorem docuit tam inepsis clathris caueam struere? Pergat ad Iepesium, receptatissimæ fidei historicum vt instruatur & audiat, cõsuetudinem Serrati montis fuisse, vt nedum monachi, sed & alij accedentes exercitatorie erudirentur. *Traditio*, (inquit) *est F. Garciam Cisnerium erudisse monacho suos spirituale iter, eosque exercitatorio suo conduxisse, ipsosque eadem custodisse documenta aliosque instruxisse monachos, filiosque confessionis*, & postea clarius: *Deductum* (inquit) *Ignatium per illud iter*, (exercitiorum) *quod edoceri solent monachi, & quo nouitij aliique saculares pœnitentes, qui ad Sanctuarium Montisserratense solent accedere, eruditur*. Nugatur igitur caueæ structor dum addit: *Si quenquam ante vel post S. Ignatium eadem meditandi scientia imbuit, ede quæso nomen, diem & consulem, qui discipuli eius domi vel foris iisdem e fontibus labra rigarunt*. Nam vt optime habet eruditissimus P. Grauina. An solum dicemus instructum ab Anania S. Paulum, quod illius vnius Ananiæ opera eruditi, scriptura neminerit? an Iacobum solummodo Patriarcham, asseremus in Ægyptum misisse emptum frumenta, quod illius tantũmodo nomen sacra memorauerit pagina? Igitur S. Ignatij velut excellentissimi Ducis, virique incomparabilis, à se instructi & eruditi ex thesauro Cisnetiano mentionem nobis faciunt Montisserratenses; cùm ipse vnus instar plurium, instar centenum sit; in quo vno, Iesuitas omnes, Religiosos plurimos, aliosque permultos, ab eo, suisue postmodum eruditos docuerint. Quod enim a Benedictinis acceperat Ignatius, hoc suis tradidit, docuit alios quod ab ijs didicerat: imo tãtam Montisserratensibus gloriam accreuisse Iepesius

Iepes in Cron. S. Bened. ad ann. 888.

exi-

existimauit, quod vnum Ignatium edocuissent, vt, tametsi & monachos & tyrones, & pœnitentiæ filios, & sæculares & aduenas dixerit pro sacri consuetudine montis, a Clanonio & Monachis instructos & eruditos ex eo exercitatorio; neminem tamen eorum nominandum indicauerit, vno contentus Ignatio; ipsum audi: *Plurima possem exempla proferre eorum, qui in Serratomonte creuerunt in spirituali vita, & optimæ fecerunt animabus suis, aucti nouis viribus & feruore ad seruiendum Maiestati Diuinæ; at vnum habeo, tam ingne, tam nobile, vt solum sufficiat, quin & iniurium esset aliquid illi associare.* Vides non defuisse Iepesio, quos coram exhiberet, ex ijs fontibus labra rigantes, siue domi illos, siue deforis aduenientes, seu schemate religioso, seu dignitate sæculari conspicuos desideremus; sed tantum Ignatio detulisse eum, vt pre ipso vno, reliquos numerum tantummodo existimarit, sic in vno sibi complacuisse, vt illum vnum coram adducés abunde iudicauerit satisfactum scenę. Hinc videat Caueæ structor, & modestiam Iepesij, & sinceriſſimũ animum erga S. Ignatium, qui eo in loco virtutes tanti Patriarchæ statuit, vt qui cum illis comparari possent, dignum iudicaret neminem. Hinc facillime elidi tur, quin & eluditur, quod structor habet de anno die & consule. Nam si consuetudinem perennem Iepesius atteſtatur, nosque fidiſſimis testibus accepimus fuisse, vt & domestici omnes & aduenę, Cisnerianis se documentis exercerent, certe proferimus Consules, eos annos, quibus hæc perennauit consuetudo; eos proferimus discipulos, qui ex ijs fontibus labra rigarunt; etsi id illi datum, vt solus in scenam prodeat conspiciendus præcæteris & admirandus, in quo cum primis tanti operis fructus luculenter apparuerunt.

Cur

Cur ergo negat, diuulgatum vllibi apud cæteros tã excellẽtis artificij memoriam dedimus enim superius ex Hispania Iepesium, ex Italia Grauinam & Scipionem; dedimus ex Belgio Vvionem, & Henricum de Zyppe; qui vna mecum astruunt, ditatum ex thesauro Cisneriano Ignatium; dedimus alios qui late excurrant in eiusdem encomia; reque maleferiate structor Cauceæ prouocamus ad ipsum libellum; lege, perlege, scrutare, rigans, rumpariue licet; fatearis oportet, excellentissimum exercitatorij artificium, opus incomparabile, magisterium Diuinum, atque ad animos peruadendos vim cælestem. Subiungit structor: *Vbi salutares vndæ scaturiunt, nemo tam inuidus Euclio est, quin familiæ suæ accoliscque, insigni vtrorumque bono, & suæmet rei familiaris incremento communicet.* Scilicet ipsi tantum thesaurum absconderunt Benedictini? Lac, Iepesio affirmante, nouitiorum, exercitatorium est; illud è sinu nunquam, è manibus deponunt; ex illo perinde atque ex regula sub tyrocinio examinantur. Accepi apud alios Ordinis nostri Congregationes, idque ex eatundem Congregationum monachis, morem obtinere, vt eodem exercitatorio in orando & meditando formentur ex eo diebus singulis, puncta ad contemplandum prælegantur: hunc librum Galli admirantur: tali sua lingua donatum in thesauro habent; & eum structor caucæ a Benedictinis desertum dicet? At inquit, *e Benedicti familia plures Ignatij potius commentationibus animam excoluerint.* esto fecerint; non enim ij sunt Benedictini, qui bonum totis non amplexantur vlnis, quocunque loco, apud quoscunque deprehenderint illud: esto inquam; ergo hoc fieri debuit, deserta P. Clanonij (Cisnerius dixisset) indulgentissima vena? errat plane

Vsus frequentissimus, exercitatorij Cisneriani. pag. 221.

caueæ ſtructor, errat; voluerunt alia tentare, non ſua deſerere. Quis enim phyſici auditus, qui ad Matheſin; quis Theologia ſtudia eum dicat deſeruiſſe qui ad SS. Patres reuoluendis tranſijt? num latinas literas dicetur deſeruiſſe, qui græcas addiſcit? Ita nec ſuum deſeruiſſe Ciſnerium Benedictini dicentur, ſi, vt omnia probarent, & tanquam apes argumentoſę, vndique mel deſugerent, Ignatij commentationibus animum excoluerint. Illud enim non ſemel accidit, vt qui indulgentiſſimam venam habeant domi, aliorum fodinas accedant, ſeu inuiſendi, ſeu experiendi, ſeu (quod in ſpiritualibus eſt laudatiſſimum) ſeſe ditandi gratia; ſua tamen deſerere quis alleret.

Vtimur alienis, rerentis proprijs.

Pag. 221 Subiecit caueæ ſtructor: *Quando inſuper exercitiorum libellus Salmanticæ cum auctore ſuo ſeuera inquiſitione excutiebatur, prompta fuit plana & pene neceſſaria cauſa tam in Monaſterio, quam in cinica cuſtodia detegendi Inquiſitionibus natales & incunabula exercitiorum: quid expeditius erat,* (idemque dicit dum Epiſcopales Commiſſarij eum vrgerent) *quam digito in Montem ſerratum intento, doctiſſimorum illis Confeſſariorum nomina, famam, dignitatemque, a quibus iſta hauſiſſet, profiteri; neque tamen id S. Ignatius fecit neque potuit.* Meminiſſe debet caueæ ſtructor, nos probandum ſuſcepiſſe S. Ignatium exercitia ſua non compoſuiſſe dum Minoreſsæ hæreret; ſed poſtquam e ſacris Hieroſolymorum locis redijſset, deſcripſiſſe plurima ex Ciſneriano exercitatorio, non omnia tranſcripſiſſe: igitur ſi poſtea ipſe in differentem methodum modūque digeſſerit ſuorum exercitiorum libellum a Garciæ exercitatorio, vt ſibi illum poſſet aſcribere: quid mirum ſi non intento in Montiſſerratem digito, ſed alijs modeſtiæ verbis ſatisfactum iuerit Iudicibus? nec vel

hilum

hilum noſtræ hoc officit ſententiæ: potuit enim veriſſime & a Clanonio eruditi, & in ſummæ contemplationis virum formari ex libello Ciſneriano, eodemque exercitatorio vti Minoreſſæ; potuitque poſtquam rediiſſet ex Aſia, ſuum exercitiorum libellum componere, in eumque ex Ciſneriano conijcere; quia tamen plura non omnia retulerat, eaque aliquali differentia, ſuum etiam potuit librum aſtruere, vt ſuum, quibuſcunque modeſtiæ verbis defendere: quamuis non abſre forſitan feciſſet, ſi digito in Serratummontem intento, ſi non natales & incunabula exercitiorum detegere, ſaltem quale ipſe exemplar in monte habuiſſet, cuius veſtigia preſſiſſet, à quo fuiſset plurimum adiutus, vnde deſumpſiſſet cum nomine libelli plurima oſtendere potuiſſet: & optime illud. Quinimo & hæc ipſum feciſſe, non peſſimà aget coniectura qui ſuſpicabitur; obuia enim hæc fuerunt veriſſima, auctoritatis & defenſionis pleniſſima, & Sancti Ignatij humilitati, prudentiæ & gratitudini conſona. Quod hoc ſileant Ieſuitarum ſcriptores, parum id Lectori faceſſat negotij; nam & nonnulla aut hic docuimus ſolide, quæ in eorum non habentur hiſtorijs: & Hiſtorici non eſt omnia minutim nimis, nimiaque anxietate proſequi; prout ſe feciſſe forſitan exiſtimarent, ſi hæc inſeruiſſent.

An Ignatius de Monteſerrato, fecerit mentionem.

Tandem concludit ſtructor Cauæ: *Itaque ex proprio vocationis ſpiritu non aliunde, Societates orandi & contemplandi induſtriam requiſiuit: quod ipſum confirmant, qui à Beatæ Virginis inſtitutione perfectum in vita B. Aluarez narrant.* Hanc eorum narrationem vidi apud Iulium Nigronium in hiſto-

Iul. Nigron. in

historica disputat. de S. Ignato p. 170.

historica disputatione pag. 170. eaque talis est, vt referat. *Archangelum Gabrielem dixisse cuidam deuotæ personæ, B. Virginem tanquam patronam & fundatricem exercitiorum Societatis; seque adiuuisse & docuisse S. Ignatium vt ita fierent: ideoque hoc nomine initium se dedisse huic operi; imo & se toto tempore vitæ suæ, in sanctis huiusmodi exercitijs fuisse occupatum.* Et Ioānes Eusebius Nierembergensis pag. 16. *Tanta* (inquit) *sapientia scripsit S. Ignatius aliquot libros, edoctus e cœlo solummodo, quod pro vnico magistro habuit. Quamobrē primus liber, quem scripsit illustratus, &c.* Et paulo post: *Alius liber fuit, Exercitiorum, quem sub eodem tempore composuit, nullis literis imbutus, solummodo inspiratus Diuinitus, & edoctus à B. Virgine.* Ita ille: Quod si B. Virgo docuerit Ignatium hæc exercitia, quomodo apud Nigronium legitur P. Euerardum quartum Præpositum Generalem societatis dixisse Ludouico Pontano; quod Romę ex traditione habeatur P. Iacobum Lainium dixisse. *Deum Dominum nostrum exercitia Patri nostro Ignatio tradidisse?* Quomodo enim hæc cohærent; Exercitia Dominus Deus S. Ignatio tradidit; & Beata Virgo Sanctum Ignatium exercitia docuit? Si ipse tradiderit, certe opus non erat, vt hæc eorum fundatrix, esset: Deinde si Beata Virgo docuerit S. Ignatium exercitia, quomodo dicuntur illa à Pontifice Paulo III. elicita ex vitæ spiritualis experimentis? Quomodo Polancus docet, ea composuisse Ignatium, edoctum interna experientia, & vsu tractandorum animorum? Quomodo Orlandinus, vsum & quotidianam obseruationem: Ribadineira experientiam & accuratam considerationem interuenisse volunt: non dispicio, vt hæc conueniunt; nec enim experimenta spiritualis vitæ, nec tractan-

Nigron. ibidem pag. 169.

Contradictiones Iesuitarum.

tandorum animorum vsus; nec eorum quodlibet quę proximo necessaria erunt; imò frustranea erunt; Si B. Virgo docuerit. Quin etiam difficulter perspicio, quomodo & verũ sit B. Virginem fundatricem exercitiorũ ipsamque docuisse S. Ignatium, vt ita fierent; & falsum non sit simul quotidianam obseruationem, accuratam considerationem, vsum tractandorum animorum, aliaque proxime enumerata, non ignobilem apparatum, eundem reddidisse aptum ad eadem exercitia componenda: Nigronio autem longius errauit Ioannes Eusebius Nierembergensis, qui prædictum omnem apparatum exclusit. *Edoctus*, (inquit) *a cælo solummodo, solummodo inspiratus à Deo, & edoctus à B. Virgine*, vt apud eum nec ipsemet S. Ignatius, siue Ioannes Polancus, qui ei à secretis erat Paulus III. Pontifex, non Orlandinus, non Maphæus, non Ribadineira; non ipsa ipsissima veritas fidem inuenerit, aut impedierit, quominus audacter contra eos omnes pronunciaret, S. Ignatium solummodo edoctum e cælo, inspiratum a Deo, edoctum à B. Virgine, sua Exercitia lucubrasse: Sed plura huiusmodi habet Nierembergensis, quam vt ijs examinandis immoremur.

Demum si aut Dominus Deus exercitia tradidisset, aut quomodo fierent, docuisset B. Virgo; quid illud amabo; quod Orlandinus, quodque Maphæus habet? Et Orlandinus quidem sic docet: *Exercitia Minoressæ composita, vt postea magis ac magis locupletata fierent.* & Maphæus pariter ait: *Librum exercitiorum spiritualium titulo, conscriptum Minoressæ; tempore tamen procedente ab eodem auctum & recognitum*: Tradidit ea Dominus Deus S. Ignatio: docuit; quomodo fierent ea, B. Virgo, ipsa fundatrix illorum fuit; & mortalis homo ea locupletaret, augeret; recognosceret? Regulam

Orlandinus l. 1. vita S. Maphæus lib. 1. vit. Ig. c. 8.

Iam Machario cœlitus datam legimus, eam tamen non legimus ab eo auctam recognitamue. Magnus plene vir S. Ignatius: at nimium efferunt illum, qui etiam operum Diuinorum Aristarchum constituunt: nimirum pariter deprimunt Sapientiam Diuinam, nimirum pleniſſimam Sapientiæ theſauris Beatiſſimam Virgnem, qui opera eorum imperfecta, indiga humanæ correctionis inducant. Igitur alterum horum corruere neceſsum eſt: aut Dominum Deum non tradidiſse illa S. Ignatio, Beatiſſimamque Virginem, eundem non docuiſse quomodo exercitia fierent, eorundemque fundatricem non fuiſse; aut ea non fuiſse à S. Ignatio locupletata, aucta, recognita. Hinc agnoſcamus licet, quia exercitia S. Ignatius, auxit, locupletauit, recognouit, ideo à Deo tradita non fuiſse, nec edoctum à B. Virgine Ignatium, quomodo ea fierent: niſi ad eum iſta modum intelligantur (quod & libenter fatemur) vt Dominus Deus, fauente & fouente B. Virgine, ea velle inſpirauerit Ignatio & perficere; ipſe ſuo afflatu illuſtrauerit animum illius, eumque magiſterio cæleſti docuerit ad ea componendum. Itaque præmouente Numine & erudiente, aſſiſtente B. Virgine & auxiliante, accedente Clanonij opera, S. Ignatius edoctus primum e Ciſneriano libello, mox experientis ſpiritualis vitæ experientia & accurata obſeruatione eorum quæ ſibi contigerant, & tractandorum animorum vſum, libellum ſuorum exercitiorum compoſuit; in quem ex Ciſneriano plura tranſcripſit; atque fabuloſus erit ſtructor caueæ, qui fabellam aſseruit, aliquid de meditandi ritu in Monte ſerraro actum: fabuloſus, dum negat, eruditum à Clanonio Ignatium ex Ciſneriano libello;

lo; à quo plura in exercitiorum S. Ignatij congesta: fabulosus, dum asserit, Societatem non aliunde requisiuisse orandi & contemplandi industriam.

Atque hæc sunt, quę scribēda censui super præsenti quæstione; tum solito meo in ordinem meum studio, tum veritatis ergo testandæ, & transmittendæ posteritati; tum vt S. Ignatij in Benedictinum Ordinem; Huius in Ignatium studia, & necessitudinem intelligentes Benedictini, Ignatiani, & mutuis se charitate amplecti, beneuolentia prosequi, officijs deuincire studeant, & perseuerent.

Nobilissimis Romani Collegij Anglicani Alumnis Constantinus Caetanus S. P. D.

PIus amor, quem exhibetis nomini Benedictino (Angli Iuuenes præstantissimi) Sanctitatis eius indicium est, quæ à filijs magni Patriarchæ Benedicti, alumnisque Gregorij magni proseminata olim in vestris Auis, nunc in vobis quasi per traducem propagatur, itaut non immerito speretur hac ætate per vos in primis nobilissimum Angliæ Regnum in pristinum Religionis florem reuocandum esse. Ad quod egregium facinus dum vos in salutationibus mutuis cohortor, atque adeo memoriam Benedictinorum Angliæ Apostolorum iucundissime recolo, Incidimus aliquando in eum sermonem; an videlicet, Et quātum debeāt Ordini Benedictino reliquæ Religiosorum hominum Familiæ, (& præsertim Iesuitarum) qui vobis per hæc tēpora cibū ex Abbatis Benedictinis collectū affluēter ministrant, sicut nostri illi Patres antiqui vestris in Anglia Maioribus virtutū doctrinarumque lac vberrime præbebant. Tunc ego sincere, ac breuiter ex antiquis nouisque literatum monumentis Seriem tantæ

rei

rei conatus sum euoluere; dixique innumera esse merita, quibus hæc Ecclesia Primogenita cæteras Religiones, & in primis Societatem Iesu complexa est. Sed ex vno posse disci omnia. Fundatores enim fere omnes cæterorum ordini à nostris instructi Patribus ad suas Familias, Regulasque condendas accinxerunt sese. Quod vbi de S. Dominico, S. Francisco Assisiate, S. Francisco Paulano, alijsque tam vetustioribus, quam recentioribus facile probauissem, deueniamus tandē ad Ignatium probatæ virum Sanctitatis, Sanctæque Fundatorem Societatis; Et ipsum quoad Christo vixit, semper Benedictina Religionis lac suxisse demōstraui: Et numquam siue infans esset, in vita Religiosa, siue robustus vir, super hac dilecta Matre sua ablactatum fuisse. Iucunde excepistis arcanum hoc, Benignissimi Iuuenes. Et illlud continuo sequacibus Ignatij aperuistis, à quibus non gratias, vt merebamini, sed tubas retulisse vos audiui. Miratus sum veritatem rei tam pulchræ, atque reconditæ odium parere potuisse: ac statim me vestrum Vindicem præstare concertatione ad id composita, simul & euulgata deliberaui. Accipite itaque quæ vobis hic offero arma veritatis, illisque pro fortitudine, & constantia vestra cū vos ipsos, tum Concertationem ipsam propugnate, meique memoriam vestris in orationibus ad Deum vsurpate valete in Domino semper.

Laus Deo Beatissimæ Virgini, SS. Patriarchis, Benedicto, & Ignatio.

Et exultabit lingua mea iustitiam tuam; Dēus,